AA GLOSSARUM COMMENTARIOLI

DISPUTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERM. AMPL. ORD. PHILOSOPHORUM UPSALIENSIUM

AD SUMM. IN PHIL. HON. RITE CAPESS.

IN PUBLICO DEFENDET

CARL THEANDER

LIC. PHIL. NAT. SMOL.

A. D. XV KAL. IUN. MCMVII

IN AUD. IV H. A. M. S.

UPSALIAE MCMVII

TYPIS DESCR. ALMQVIST ET WIKSELL SOC.

Facere non possum, quin in prima opusculi mei pagina gratias eo viro maximas agam, cuius beneficio exstitit. Is Lagercrantz est, vir ut in omni litterarum genere et in glossographicis praesertim rebus sagacitate et doctrina excellens, ita erga discipulos studio et benignitate unus omnium praeditissimus. Libere confiteor me ab eo et ad huiusmodi quaestiones suscipiendas initio perductum et in persequendis omni ratione adiutum et sustentatum esse. Sed a talibus magistris non pudet institui; si vero consiliis eius obtemperans aliquid profeci, id ab eo approbari summum mihi praemium erit.

CAPUT I.

De glossario universo.

Inter eas pretiosissimas interdum sermonis Latini reliquias, quae glossariorum antiquitus nobis traditorum mole continentur, spernendae certe non sunt glossae *aa* quae vocantur, in Corp. gloss. Lat. V, 435—490 impressae. Quarum de praestantia audiamus G. Loewium, auctorem locupletissimum, qui p. 137 Prodromi sui sub titulo *De glossario quodam optimo unde pendent codd. Vindobonensis 2404, Vaticanus 3320, Sangallensis 912 alii* ita ut sequitur disserit: "Exstitisse videtur glossarium egregium, quod non inuria ob glossarum ad antiquissimos scriptores spectantium copiam cum Placidi glossis comparaveris". Neque tamen hae glossae ita sunt traditae, ut ad fructum ex iis percipiendum quasi manus tantum porrigenda sit; immo vero quia et diversis ex partibus compositae et temporum iniquitate pessime conflictatae sunt, priusquam Latinarum litterarum scientiae utiles fieri possint, haud levem curam desiderant. Quo cum accederet, quod pauci tantum loci, in Thes. gl. singulis sub vocibus communicati, quodammodo tractati essent, operae pretium futurum speravi, si ex hac vastissima silva aliquid saltem eruerem.

De memoria glossarii, quatenus editioni supra dictae subiecta sit, affero quae dicat Goetz ipse in Praefatione vol. V Corp. gl. p. XXVIII sq:

"Glossae *aa*, quo nomine a prima glossa ducto Loewius has quas excerpsi glossas appellavit, in quattuor codicibus exstant, quos paucis tractavi praef. vol. IV p. XI. Codex quem excerptis pro fundamento esse volui Cassinensis 401 membranaceus saeculi X 158 foliis praeter hoc glossarium alia opuscula non exhibet, si discesseris a differentiis in fol. 1 et 2 positis, quarum principium periit. Correxit nonnulla manus saec. X/XI, paucissima m. saec. XV. Huius libri apographon confecit Gundermannus, a quo apographo excerpta mea pendent. — Ex codicibus Vaticanis duobus selectam discrepantiam adiecisse satis habui. Codex Vaticanus 3320 membranaceus saeculi noni foliis 219 glossas *aa* continet adiectis in singularum litterarum fine excerptis ex Isidoro aliisque auctoribus petitis amplissimis. Codex olim Fulvii Ursini fuit. Ex hoc libro excerpta mihi reliquit Loewius. — Codex Vaticanus 1471 membranaceus saeculi noni praeter alia multa, de quibus mox agetur, tertio loco glossas *aa* continet, hac inscriptione: 'INCIP . LIB · ETHYMOLOGIARUM idest de proprietate sēr vel glossa hoc est hermineūata ab a usque in z'. Ex hoc libro excerpta reliquit Loewius, alia multa enotavit Gundermannus. — His tribus libris accedit codex Vindobonensis 2404 (CDXIX Endlicheri: cf. tab. Vindob. II, p. 68, Loewius Prodr. p. 138) ad litteras A et B spectans; ultimae glossae sunt: *buccones : stulti rustici, bustuarii : qui corpora humana cremant, bubo : nomen avis nocturnae, burgus : castra, bullantes : bullas emittentes.* Priorem partem mihi transscripsit Carolus Krumbacher, reliqua Arthurus Goldmann: nolui tamen huic libro modo contracto modo aucto quicquam depromere. Ceterum ex his libris magis conspirant Cassinensis et Vaticanus 3320 valdeque superant glossarum ubertate codicem Vaticanum 1471 ordinibus additamentorum ex alio fonte adiectis. Verum ne eae

quidem glossae, quas codex 1471 continet, eiusdem omnes sunt originis, sed compositae ex variis glossariis. Quae cum ita sint, de primaria forma glossarii *aa* et compositione quaerere desii, excerpsi quae quaestiones glossographicas illustrare posse visa sunt, trivialia abieci. Ordinem secutus sum codicis Cassinensis ad alphabeti litteras accommodatum: a quo ordine persaepe discrepare Vaticanum 1471, rarissime Vaticanum 3320 hoc loco commemorasse sufficiet."

Si hanc expositionem librorum *aa* glossas continentium cum ea conferas, quae l. l. Prodromi Loewii legitur, statim occurrit non eosdem utrobique codices esse laudatos. Cuius rei ea causa est, quod libri nonnulli cum *aa* glossis plus minusve cognati et a Loewio earum familiae ascripti in Corp. gloss. partim proprium obtinent locum, Sangall. dico 912 et Leid. 191, qui vol. IV, 201—298 inveniuntur, partim prorsus omittuntur. Contra Goetz duos illos codices, Cassin. 401 et Vatic. 1471, quorum supra mentio facta est, Loewio ut videtur satis etiamtum ignotos, ascivit. Verum haec magis ad variorum glossariorum connexum quam ad ipsas *aa* glossas spectant; ubicumque res poscet, universa nimirum glossaria consulturus sum.

Quidnam igitur de ipsius *aa* glossarii, quale in editione Goetzii exstat, origine et compositione praedicari potest? Utrum unius iam inde a principio hominis opus est an huc varia glossographorum vel commentatorum opuscula confluxerunt? Primo paene iam aspectu videmus hoc quam illud verius esse. Haud raro eadem lemmata saepius redeunt, quin *meditullii* vocabulum non minus septies. Illud etiam eodem videtur spectare, quod voces multae corruptae iis ordinis alphabetici locis reperiuntur, quos sub formis mutatis obtinere debebant, quem ordinem falsum tum ortum existimo, cum variae glossarii partes in unum coniunctae

sunt; vix enim veri simile est unum aliquod glossarium corruptelis laborans in novum ordinem redactum esse. Hucusque igitur via plana est; quaerentibus autem nobis, quibusnam illa congeries partibus constet, difficultates nasci incipiunt. Qua in re id nimirum opus non adiuvat, quod et frustula tantum ex libris excerpta Goetz edidit neque nominatim indicatae sunt eae glossae, quibus Vat. 1471 cum ceteris codicibus comparatum carere ipse narrat. Sed fortasse in tam vasto collectaneorum acervo aliter fieri non potuit neque propter haec Goetzium vitupero: id tantum contendere velim, etiamsi operae fuisset, nullam in praesenti a me prosperam fontium quaestionem suscipi potuisse. Quae cum ita sint, satis habebo certa aliqua glossarum genera, quae aut alii iam indagarunt aut ipse distinguere visus sum, breviter commemoravisse; pauca ubique exempla exploratiora affero.

1. Primum glossas habemus non paucas ex antiquissimis scriptoribus Latinis, Livio Andronico, Ennio, Plauto, Terentio, Lucilio, aliis, petitas; quae vulgo iam ad suos locos relatae sunt, cf. 467, 60, 61 (Liv., v. Fest. M. 162, 24 sqq.); 462, 16 (Enn., v. Serv. in Aen. 8, 361)[1]; 439, 52 (Plaut., v. infra Cap. III); 436, 13 (Ter. Eun. 85)[2]; 443, 46 (Luc., v. Loew. Pr. 317 sqq., Gl. N. 97).

[1] Non sine admiratione legi glossam 438, 4 *Aethereis sensibus: caelesti < bus > mentibus;* ut enim simillima sit gl. IV, 473, 20; V, 263, 2 *Aetherium sensum: caelestem spiritum,* quam ad Aen. 6, 747 referendam esse Goetz non vidit, ita neque ab hac corrupta esse potest neque ad alium Aeneidis versum pertinet. Verba certa poetica sunt, et quoniam metrum potius iambotrochaicum quam dactylicum videtur, de Epicharmo Ennii cogitavi, in quo carmine Ennius, sicut in Aen. VI Aeneas, apud inferos rerum natura instituitur; forsitan ab Ennio mutuatus sit Vergilius. — Similis est condicio gl. 437, 41 *Aduncis manibus: curvis manibus,* quae in memoriam reducit verba Verg. Aen. 6, 360 *uncis manibus,* inde sumpta esse non potest.

[2] Novam glossam Terentianam ipse inveni, 455, 17 *Ex unis: ex singularibus,* ad Andr. 674 pertinentem.

2. De glossis Vergilianis v. Cap. II.

3. Glossas ad scripturam sacram et ecclesiasticos spectantes nonnumquam offendimus. cf. 436, 4 (Vulg. Rom. 1, 31; v. Thes linguae lat.): 441, 22 (Vulg. Lev. 8, 16); 463, 19 (August. in psalm. 71, 18): 488. 45 (Sulp. Sev. dial. I, 27, 4; v. Landgr. Arch. IX, 368).

4. Leviter tantum inspicientem mox offendit, quam saepe redeant glossae ad iuris civilis scientiam pertinentes, cf. 438, 10; 449, 9 (v. infra Cap. III); 456, 56; 476, 49; 486, 1, permultas alias.

5. Nec tales loci rari sunt, ubi etymon vocabuli explanatur, cf. ex. gr. 439, 34; 477, 42; 482, 34.

6. Multa in lemmatis cognomina invenimus, quae ex eodem fonte fluxisse veri simile est, cf. ex. gr. 439, 53; 467, 39; 473, 62.[1] Item patronymica pro glossarii magnitudine sat saepe occurrunt, cf. ex. gr. infra Cap. III gl. 456, 35.

7. Interdum interpretamenta originem Christianam prae se ferunt, cf. 456, 58; 477, 41; 480, 29; cf. etiam Cap. II, 441, 60.

Hactenus de compositione glossarii. Videamus denique, praebeatne aliquod indicium ad tempus, quo in hanc speciem reductum sit, definiendum. Et hic quidem, nisi me fallit, glossa 480, 27 *Rodoricus : nomen est unius regis* non inutilis est. Quamvis enim vel Goetz vel Heraeus (uter eorum sit, non satis apparet, v. Thes. gl.) hanc glossam pro eadem habeat atque ea, que 480, 33 hoc exstat exemplo: *Robrius : nomen est*, itaque *Rubrius* legens ad Iuven. 4, 105 referat, tamen persuasum habeo *Rodoricus* vel *Rodericus* verum esse. Primum, ut ab iis illius emendationis difficultatibus discedam, quæ ad scripturam attinent, quomodo Rubrius aliquis, sive Iuvenalianus sive alius quilibet, rex appellari potuerit, non satis apertum est. Tum neque quicquam

[1] De hoc genere glossarum v. Loew. Pr. 387—401; Gl. N. 143 sqq.

magis constat quam regi illi Gothorum occidentalium clarissimo, qui a. 711 contra Mauros Hispaniam invadentes fortissime pugnans occubuit, nomen ipsum fuisse Rodericum, nec regem ullum priorem Germanorum, qui ita appellatus esset, cognovi. Quod si verum est illum hic Rodericum significari, octavo demum saeculo ineunte haec saltem de qua agitur glossa, nescio an simul aliae, scripta est.

CAPUT II.

De glossis Vergilianis.

Iam dudum cognitum est ad nullum magis scriptorem Latinum quam ad Vergilium glossographos antiquos operam suam applicavisse, quo etiam factum est, ut non solum glossaria exsisterent propria Vergiliana, sed ut etiam ea, quae passim collecta continent, magna ex parte ad eum referenda sint. Neque *aa* glossarium hac in re a ceteris discrepat. Nam non solum multi loci Vergiliani vulgari glossographorum more ibi explicantur, sed etiam fragmenta insunt interpretationis cuiusdam paulo verbosioris, quae ad poetae Mantuani carmina redeunt. Quae res ut certissime constent, ita singillatim saepe sat difficile est distinguere, utrum de Vergilio agatur necne. Itaque glossas ab A—E litteris incipientes perscrutari satis habui, ubi illud operam meam esset adiuturum, quod multa lemmata per se forma admodum communi ad hunc poetam redire glossae eaedem vel simillimae in glossario Vergiliano Hageni [1] exstantes quodammodo testarentur. Sed confirmare nimirum non audeo me aut ubique Vergilium recte auctorem statuisse aut nihil omisisse ex eius carminibus petitum; contentus ero, si "plura nitere" i. e. probabiliora esse videbuntur. Nonnumquam ad glossas suscipiendas indicio quodam perductus sum, quod nisi

[1] Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii, ed. Thilo-Hagen; vol. III, fasc. 2 Appendix Serviana, Lipsiae MCMII., p. 453—529.

ubique conveniret, iusto sane audacius viderer egisse. Neminem enim, qui glossas infra collectas examinet, effugiturum esse credo haud ita parvi glossarum numeri proprium esse, quod Graeco sermone, Latina plerumque interpretatione addita, lemmata explicentur. Multo maxima pars harum glossarum, quae 37 numero sunt, ad Eclogas 1 et 2 referenda est, illuc non minus sedecim, huc septem; Ecloga 3 unam habet; reliquae partim ad varios Aeneidis locos, partim ad plures simul versus Vergilianos referri possunt. Mittere tamen non debeo, quod nonnullae praeterea eiusdem generis glossae ab iis quas perscrutatus sum litteris incipientes exstant, quas vel aegrius vel omnino non Vergilianas existimare possumus; cum autem non plures sint quam summum tredecim vel quattuordecim, numerus autem inter eas quas infra collegi talium, quales certe ad Vergilium redeant, tantus sit, iure me aliquo nonnullas etiam magis dubias his addidisse crediderim. Fieri potest, ut aliqua saltem pars earum glossarum quae supersunt, quamvis non ex carminibus Vergilii sumpta essent, tamen eius nomine notata[1] cum veris illis glossis Vergilianis in uno libro exstiterint, inde in *aa* glossarium pervenerint. — Sicut Goetz, ordinem sequor codicis Cassinensis, quem, ubi opus est, *c* littera significo; Vaticanorum 3320 et 1471 notas Goetzianas *a* et *b* accipio. Stellulae glossas iam antea inventas et in Thes. indicatas significant.

Gl. 435, 2 *Ab alvearibus : a praesaepibus* ordine inverso inter glossas Verg. Corp. gl. IV, 430, 5 et apud Hagenum n. 496 occurrit; illic enim *A praesepibus : ab alvearibus*, hic *A praesaepibus : ab alvearibus; sunt autem alvearia vasa*

[1] Eodem modo apud Hagenum multae glossae falso Vergilianae esse perhibentur.

apium legitur. Veri simillimum esse puto hoc quoque loco eandem glossam, a scriba aliquo nescio qua ratione inversam, exstare. Quod si verum est, ad Aen. 1, 435 vel G. 4, 168 referri debet.

* Gl. 435, 22 *Abiuratae : fraude subreptae* ad Aen. 8, 263 pertinet.

Gl. 435, 24 *Ab limite : ὁροθέσιον* (sic a et Thes. gl.) *id est terminus* ad E. 1, 53 referenda est; post *limite* nominativum eiusdem vocis excidisse coniecerim.

Gl. 435, 34 sic: *Ab ovilibus : ἀπὸ τῶν προβατοστασίων, id est a caulibus pecudum ablatus* (*ablatium* ab, *ablatum est* c et Thes. gl.; cf. Cap. III, gl. 456, 54) legenda et ad E. 1, 8 referenda videtur; *caulibus*, tertiae declinationis forma, vera esse potest, siquidem glossis 445, 9 b a[2] *Caules : cancelli tribunalis aut claustra pecorum* et 445, 13 *Caules* (*Caulex* codd.): *cancellum ante iudicem vel ingressum* confidere audemus.

Gl. 436, 5 *Aptans* (sic Thes. gloss.; *abtans* b *abstans* c): *componens*, = H. 24, ad Aen. 2, 672 referenda est.

Gl. 436, 21 *Acris : ingenui, fortis genere* (sic codd.; *Acris ingenii : fortis genere* Thes. gloss.) similis est gl. H. 62 *Acris : fortis* et non sine aliquo iure simul cum illa ad Aen. 1, 220 revocanda.

Gl. 436, 31 *Atrox : indignus vel nigrus seu ardens* (*Adeox* codd.; Goetz in Thes. gl. dubitare se dicit, utrum *atrox* an *audax* lemma sit) legendam esse veri simile fit gl. H. 699 *Atrox : indignus* collata; ad Aen. 9, 420, ubi de Vulcano agitur, referenda videtur, quin in versu sequenti ipsum illud *ardens* occurrit. *Nigrus* forma in alia quoque glossa, IV, 431, 12 *Avernus : infernus* (vel *-i*) *locus nigrus* reperitur.

Gl. 436, 34 *Adfatu : allocutione,* sicut IV, 12, 47, H. 99 *Adfatu : eloquio* ad Aen. 4, 284 referenda videtur.

* Gl. 436, 40 *Advelat : coronat* ad Aen. V, 246 pertinere videtur.

Gl. 437, 9 *Adlapsa : sensim veniens* (*Adlapsas* c; *Adlapsus* a et Thes. gl.) legenda et pro eadem habenda est atque IV, 11, 19, H. 121 *Adlapsa : caute veniens. Adlapsas* codicis c quin dittographia sequentis litterae *s* ortum sit, non dubito; postea *Adlapsus,* quod in a est, exstitit. Glossa ex Aen. 9, 587 vel 12, 319 sumpta est.

Gl. 437, 13 si *Admorunt : admoverunt* (*ambierunt* codd.) legimus, cum gl. V, 162, 47 congruit et ad Aen. 4, 367 referenda est. *Ambierunt* per scripturam mediam *amoberunt* ortum esse puto.

Gl. 437, 23 *Adorea : farrea id est ea, quae ex farre sunt* (sic Thes. gl. recte, credo, verba codicum corrupta emendavit) ex Aen. 7, 109 hausta esse potest, cf. V, 6,10; 44, 31.

Gl. 437, 52 *Aëria : ὑψηλή excelsa* ad E. 1, 58 pertinet.

* Gl. 438, 1 *Aevi maturus : senex decrepitus, silicernium* ad Aen. 5, 73 referenda est.

Gl. 438, 12 sic restituo: *Agnus : ἀρνός id est agnellus modicus vel castus* (codd. *Agnos arnus* etc., Thes. gl. *Hagnos arnus: id est* c. q. s.) et ad Ecl. 1, 8 refero. De ἀρνός forma in nominativo usitata vide ex. gr. Liddell-Scott s. v.; primigeniam vocem simili modo deminutiva, attributo eiusdem sententiae insuper addito, explicatam in gl. 459, 28 habes.

Gl. 438, 16 *Agresti : ferina [id est caro ferarum].* Prior pars glossae, cum H. 270 *Agresti : id est ferina* consentiens, ad G. 2, 531 pertinet; codex is Vergilianus, quo glossographus seu scholiasta usus est, non *agresti palaestrae,* lectionem vulgatam, sed *agresti palaestra,* sicut PRbγ et Servius ostendunt, praebuit. Quod a me uncinis inclusum sequitur, a scriba posteriore, qui *ferina* vocem substantivi loco accepit, interpolatum est. *Fera* pro *ferina* substituere, ut dubitanter suadet Hagenus, opus vix esse arbitror; immo *agresti palaestra* mea quidem sententia *ferina,* id est *ferarum, palaestra*

hoc loco optime potuit explicari; Accedit, quod lectio codicum glossa V, 263, 49 *Agrestes : ferinae* sustinetur: cf. etiam infra Cap. III sub gl. 456, 6.

* Gl. 438, 26 *Alba ligustra : τὰ λευκόροδα* ex. E. 2, 18 sumpta est.

Gl. 438, 37 *Aligerum : pennatum,* H. 291 *Aligerum : pinnatum, volucrem,* ad Aen. 1, 663 pertinet.

Gl. 438, 50 fortasse *Alnus : scapha* (*scaphas* codd.; *scapha* etiam Thes. gl.) legenda et ad G. 2, 451 referenda est.

*Gl. 438, 58 *Altricem : nutricem* ex Aen. 3, 273 hausta est.

Gl. 439, 5 *Amaryllida : Romam* ad E. I, 5 revocanda est (Cf. Servium ad locum).

Gl. 439, 6 *Amaryllidis : Romana,* in Thes. gl. interrogandi signo instructa, recte se habet, ad E. 2, 14, 15 spectans.

Gl. 440, 56 *Araxes : fluvius Armeniae in Oriente, ibi et Ararim* (pro *Ararim Ararat* Goetz legere vult, sine dubio falso) priore parte Vergiliana esse potest, ex Aen. 8, 728 sumpta, verba *ibi et Ararim* certe ad v. E. I, 62 referenda sunt, ab homine aliquo negligentiore, qui leviter tantum locum oculis percurrebat, perperam intellectum. Ordo enim verborum fortuitus, qui est *Ararim Parthus,* satis fuit causae, cur Ararim Orientis flumen crederet.

Gl. 441, 9 *Aristas : spicas* στάχυας ad E. 1, 69 referenda est.

*Gl. 441, 12 *Arietat : crebro incurrit* (sic Thes. gl.; *arebro incurrit* codd.) ad Aen. 11, 890 pertinet, item, ut videtur, gl. 441, 14 *Arietat : ferit, percutit ritu arietis.*

*Gl. 441, 26 *Arma virumque* (*veruntiae* codd.): *tela, bella virumque* (*tella bella virorumque* ab, *ricorumque* c) restituenda videtur, ad Aen. 1, 1 pertinens.

Gl. 441, 46 *A tergo* (*Aterio* codd.) *: posteriore parte* ex G. 1, 174, sumpta videtur esse.

Glossae 441, 50 prior pars *Attollit : aggestat* (in Thes. gl. deesse videtur; codd. *Attulit* pro *Attollit*) ad Aen. III, 574 referri protest.

Gl. 441, 60 ex duabus compositam esse iam antea perspectum est; posteriorem, in Thes. gl. hoc modo redditam: *Avi* (codd. *aut*) *maiores natu [qui dignant norum* (?) *qui possunt]* sic emendandam puto: *Avi : maiores natu; qui dignantur illorum, quid possunt (dignantur illorum = illorum digni existimantur)?* collato versu Aen. 12, 649, ubi Turnus *magnorum haud umquam indignum avorum* se ad inferos descensurum esse gloriatur. Quae coniectura si vera est, haud scio an verba *qui dignantur* e. q. s. speciem prae se ferant additamenti Christiani, eodem modo atque glossae 460, 1 *Ille deum: Saloni<n>us,* ad E, 4, 15 pertinenti, additum esse videtur illud, quod sequitur: *vel, quod verum, Dominus Salvator. Dignandi* verbi cum genetivo constructi nullum sane exemplum cognovi; cum autem *dignus* adiectivum in sermone posteriore hunc casum vulgo habuisse constet, ea res obstare non debet. — *Ur* terminatio compendio scripta (v. Cap. III gl. 440, 19) in glossario nostro passim omissa est, velut 441, 10, 446, 14, alibi. *Norum* denique ex *ilorum, l* littera simpliciter posita, oriri potuisse nemo non videt.

Gl. 442, 22 *Avus : πάππος* ad Aen. 10, 76 referri potest.

Gl. 442, 47 sic: *Bacchare* (*bacane* codd.): *herba iocundior* legendam esse conicio propter gl. H. 1 *Baccari : genus herbae iocundi floris et odoris, quae arceat fascinum,* ex E. 4, 19, 7, 27 sumptam. Goetz codicum retinet lectionem, locum Marcelli Empir. conferens, col. 344 edit. Steph., ubi in formula medicinali haec leguntur: *Ad iecoris* (*pecoris* Forcell.) *dolorem potio salutaris conficitur sic: Piperis — I, eupatorii — I, costi — III, bacani — II, Fenigraeci — IS. Bacani* vocabulum, quod hic invenitur, uno praeterea loco similiter

usurpatum esse vidi, in latina versione libri Nicolai Myrepsi, 431 G. ed. Steph.; quid valuerit, ignorari videtur, praeterquam quod haec apud Forcellinum sunt: "*Bacanum*, vox Graeca βάκανον, qua de eruditorum virorum sententia significatur semen raphani seu brassicae". Quod si recte iudicatum est, eo minus ad hanc vocem glossa, qua de agitur, spectare potest. — De *r* et *n* litteris in scriptura unciali inter se commutatis refero v. gr. ad Wattenbachium, Anl. p. 48.

Gl. 442, 53 *Belloque superbum* (*bellasqueruperibus* codd.) *bellicosum, magnificum in bello* (*bellicorum magnificum bella* codd.) correxit Goetz, ad Aen. 1, 21 referens.

Gl. 443, 53 *Bubo : nomen avis est nocturnae ominosae id est* νυκτίκοραξ, H 53 *Bubo : avis ominosa*, ex Aen. 4, 462 sumpta est.

Gl. 444, 15 Cacumina : ἀκρωρείας, *id est summitates* ad Aen. 3, 274 refero.

Gl. 444, 20 *Caltha : genus floris*, βούφθαλμον, H 52 *Caltha: nomen herbae*, sine dubio ad E II, 50 pertinet.

Gl. 444, 21 *Caligat* (sic Thes. gl.; *calitat* a b, *caltat* c) *caliginem facit* ad Aen. 2, 606 referenda est.

Gl. 444, 22 *Calathis* (*-us* codd.) κοφίνοις (*cophinus* codd.) *vel canistris* (*-us* codd.) legendam esse probabile duco; Aen. 7, 805, vel E 2, 46 domicilium est lemmatis.

*Gl. 444, 28 *Canebat : candidum erat, canitie albicabat* ex Aen. 5, 416 hausta est.

*Gl. 444, 38 *Captabis :* ἀπολαύσεις ad E 1, 52 referenda est.

Gl. 444, 39 *Carpens :* δρεπόμενος, ἀποτρυγῶν ad E 2, 47 revoco.

Gl. 444, 40 *Captas : oculis definitas*, = H. 36, ex Aen. I, 396 sumpta est.

Gl. 444, 46 *Carcere : statione* versibus Aen. I, 54 et 141 convenire videtur.

*Gl. 444, 51 *Carpebat* (sic Thes. gl.; *capieba* codd.) *somnos* (*somno* codd.): *dormiebat*, = H. 27, ad Aen. 4, 555 spectat.

Gl. 444, 58 *Casta : pudica,* ἁγνή. σεμνή ad Aen. 6, 402 vel E 4, 10 pertinere mihi persuasi.

Gl. 445, 32 *Caerula* κελαινά *seu nigra, varia* (sic Thes. gl.: *migranaria* codd.) ad Aen. 2, 381 (cf. gl. V, 274, 19 *Caerula colla : varia, distincta*) referendam esse veri simile videtur.

*Gl. 445, 35 *Caesarum : immolatarum* (*immolatum* codd; in Thes. gl. lectioni corruptae signum additur interrogandi) restituendam esse gl. H 146 iisdem verbis ostendit. Corruptio ita, ni fallor, exstitit, quod *ar* syllaba compendio eo, quod pro *r* littera cum vocali coniuncta vulgo usitabatur, scripta erat (cf. Cap. III, gl. 446, 10). Glossa ex Aen. 7, 87 petita est.

Gl. 445, 38 (*Cauasus : genus ligni vel a significatu vestigia* codd.) non, ut Goetzius dubitans censet, hoc modo restituenda est : *Carbasus : genus lini, vela significat navigii,* quod a lectione codicum nimium discrepat, sed ita : *Carbasus : genus lini vel a significatu vesticula.* Manifestum est e *vesticula* voce facillime *vestigia* oriri potuisse; *u* littera in libris plerumque linea nasali scripta est, *g* et *c* eandem paene formam habebant, item *i* et *l*. Fortasse glossa pars fuit enarrationis illius Vergilianae, cuius supra mentionem feci; quod si verum est, ad Aen. 8, 34 *eum tenuis glauco velabat amictu* | *carbasus* referri potest, ubi *carbasi* ipsum vocabulum ad vestem significandam adhibetur.

Gl. 445, 39 *Cerealia arma : pistoria* et 47 *Cerealia arma : instrumenta pistorum* ad Aen. 1, 177 referendae sunt.

Gl. 445, 43 *Cellas : favorum* (sic Thes. gl., *ferarum* codd.) *foramina* ad Aen. I, 433 vel G. 4, 164 spectare probabile est.

Gl. 445, 50 *Caespite : χορτοπλίνθῳ [id est domus palearum]* ad Aen. 3, 304 vel E 1, 68 referri oportet. Ad verba *id est* e. q. s. cf. Loewe Gl. Nom. p. 31, 430, n.

Gl. 445, 53 *Cicadis. < Cicadae >: τέττιγες* ad E 2, 13 refero.

*Gl. 445, 54 *Cicutis : calamis* ad E 2, 36 revocanda est.

*Gl. 445, 59 *Cinxere polum : orbem fecerunt*, = H 187, ex Aen. 1, 398 sumpta est.

*Gl. 445, 62 *Circum claustra : circumclusi* (sic melius quam ut Goetz, codices secutus, glossam reddit : *Circum claustra: circum clusa*) ad Aen. 1, 56 spectat.

Verba glossae 445, 65 *Circum : in ambito itum ambige ulluit* sic emendanda mihi videntur: *Circum : in ambitu, item ambage, vel ludum.* Prima pars glossae eadem esse potest atque glossa Hageni 193, quae hanc habet formam: *Circum : in ambitum;* in particula tam usitata hoc certum nimirum non est. Haud aliam vim *ambage* vocabulum habere potest (cf. Georgesium s. v.); fortasse autem potius ad eam praepositionis sententiam spectat, qua in verbis compositis eius generis praedita est quales sunt *circumduco, circumscribo. Ul* syllaba vocis corruptae *ulluit vel* coniunctio est, ul̃ scripta. *Ludum* denique illud, ex *lud* in *luit* corruptum, ad substantivum quod est *circus* spectare nemo non videt (cf. glossas in Thesauro s. v. allatas).

Gl. 446, 6 *Clam : latenter, occulte, λάθρα* ad Aen. 1, 350 revocari, potest.

Gl. 446, 11 *Claustra* (*claustre* codd. et Thes. gl.): *clausurae* eadem est quae apud Hagenum 236 hoc modo corrupta neque ab eo emendata exstat : *Classera : clausurae;* ad Aen. 3, 411 vel 7, 185 spectat.

*Gl. 446, 21 *Clarescunt : clariores fiunt* ex Aen. 2, 301 petita est.

*Gl. 446, 42 *Cete : beluae marinae* ad Aen. 5, 822 pertinet.

Gl. 446, 58 *Comantes :comas habentes* ex Aen. 3, 468 sumpta videtur esse.

Gl. 446, 64 (*Compellere : alloqui seu* ἀπογαλακτίζειν codd.) ex duabus: *Compellare : alloqui* et *Compellere :* ἀπογαλακτίζειν contaminata est. Illa, inter glossas Vergilianas IV, 434, 45, ubi omnes praeter unum libri *Compellare* praebent, occurrens, ad Aen. 2, 280 vel 3, 299 referenda est, haec ad E. 2, 30, verbis quae ibi sunt *viridi hibisco*, cum a Servio et editoribus recte, ut videtur, pro dativo habeantur, a glossographo ablativi instrumenti loco acceptis. Qua opinione adductus *compellere*, idem hoc verbum atque *depellere* (cf. infra gl. 449, 59) valere existimans, ἀπογαλακτίζειν interpretatus est. Iunio etiam Philargyrio verba illa, quamvis aliter explicaverit sententiam, in ablativo posita visa esse ea re apparet, quod ita exponit: *Hibisco : id est genus virgulti, quo pastores flagellant pecus.*

Gl. 446 67 *Concha : bucina* (sic Thes. gl.; *bucit* codd.) ad Aen. 6, 171 vel 10, 209 revoco.

Gl. 447, 19 *Congestum* : συνσεσωρευμένον ad E 1, 68 pertinet.

*Gl. 447, 30 *Conixa : pariens,* ἐγκυήσασα ad E. 1, 15 referenda est.

*Gl. 447, 38 *Compagibus : iuncturis, alligamentis* ex Aen. 1, 122, 293; 2, 51 sumptam esse arbitror.

*Gl. 447, 44 *Corruptam undis* (*Conrapto undis* codd.): *humore vitiata* ad Aen. 1, 177 pertinet.

*Gl. 447, 55 *Conscendit late[t] ascendi<t> in immensum* ex duabus *Conscendit : ascendit* et *Late : in immensum* ad Aen 1, 180 et 181, (280 et 281 Thes. vitiose) spectantibus contracta est.

*Gl. 447, 56 *Consule : Pollione,* ut iam Goetz suspicatus est, ex E 4, 3 sumpta est.

Gl. 448, 1 *Contiguum : proximum, iuxta amentum,* (sic lectionem codicum *iuxta mentum* corrigere velim), = H 340 *Contiguum : proximum,* ad Aen. 10, 457 referenda est.

*Gl. 448, 8 *Convectant: portant* ad Aen. 4, 405 pertinere verisimile est.

*Gl. 448, 18 *Chorum simulans: ludos fingens* (*lubros f.* codd.), H. 439 *Ch. s.: lusus fingens*, ex Aen. 6, 517 sumpta est.

Gl. 448, 22 *Crateras: φιάλας, calices vinarii* ad Aen. 1, 724; 7, 147; 12, 285; E 5, 68, posterior interpretamenti pars *calices vinarii* etiam ad Aen. 6, 225 referri potest.

*Gl. 448, 25 *Crepitans: leniter flans*, H 467 *Crepitans: leviter flans,* ad Aen. 3, 70 spectat.

Gl. 448, 30 *Crinitus: comatus seu polypus*, ut gl. H. 488 *Crinitus: comatus* ostendere videtur, priore parte Vergiliana est, ad Aen. 1, 740 vel 9, 638 pertinens.

Gl. 448, 32 *Cretae* λευκὴν γῆν ex E 1, 65 petitam esse mihi persuasi, scriptum fuerat initio ita fere: *Rapidum cretae* λευκὴν γῆν ἄγοντα, unde primariis verbis excerptis quae nunc exstat glossa nata est.

*Gl. 448, 45 *Cum placidum* (*placitums* codd.) *ventis*: γαλήνης οὔσης, *id est quietis ventibus*, ad E 2, 26 revocanda est.

Gl. 448, 51 *Culmen: summitas*, ὀρόφωμα ad E 1, 68 pertinet.

*Gl. 448, 57 Goetz recte ad E 4, 4 rettulit, emendare nequit. Credo hoc modo legendum esse: *Cumaei: de Sibylla, cantus sibyllici* (*desybyllatus sibyllicu* codd.). *-la* et *ca-* syllabarum, si *cantus* vocabulum linea nasali scriptum erat, tanta fuit similitudo, ut facile altera excidere posset.

Gl. 499, 1 *Corylos. < Corylus >: λεπτοκάρηνον, id est nucleus* ad E 1, 14 refero.

Gl. 449, 6 *Culta novalia: τὰ νεάματα, id est nova plantatio.* Sic pro codicum verbis, quae sunt *Culta nova* e. q. s., legendum esse censeo, glossam ad E 1, 70 revocans. *Nova* ex *novalia* ita exstitisse credo, quod primum, id quod non

raro accidit, *-li-* in *-n-* abiit, deinde cum falsum hoc *n* linea supra scripta expressum esset, ex duabas *a* litteris una cecidit.

*Gl. 449, 27 *Defleta : desperata* (sic Thes. gl.; *Deflent adespata adesperata* codd. per dittographiam) ad Aen. 6, 220 spectat.

*Gl. 449, 30 *Defit : minuatur* ἐκλείπει (*minuat* codd. et Thes. gl., sed cf. quae supra ad gl. 441, 60 de *-ur* terminatione dicta sunt; *minuatur* pro *minuitur* recte se habet, v. Körting^2 6187, Du Cange s. v., Gröber Arch. f. lat. lex. IV, 116 sq) ad E. 2, 22 referenda est.

Gl. 449, 51 *Depasta :* ἀπογευσαμένη, *id est gustata* (*Depastas apogeusamenas id est gustate* codd.) ad E 1, 54 revoco. *Depastas* scriptura sive ex nominativo generis masculini, quam in formam glossa erat redacta, orta est, sive inde, quod glossographus negligentior *s* litteram incipientem sequentis vocis *salicti* cum vocabulo praecedenti coniunxit; tum e lemmatis figura etiam *apogeusamenas* et *gustate* (i. e. *-ae*) exstiterunt. Forma Graeca medialis pro passiva errore posita est.

*Gl. 449, 59. *Depellere :* ἀπογαλακτίζειν, *id est delactare* ad E 1, 21 pertinet.

Gl. 449, 60 *Dircaeus.* < *Dirce* > *fons* Θηβαίων, *locus unde petras movebat* (*movebant* codd.) versum E 2, 24 explicat, ad fabulam illam notissimam spectans, qua Amphion lyra canens saxa vicina impulisse narratur, ut sua sponte se ad murum Thebanorum urbem cingentem componerent.

Gl. 450, 3 *Destituunt : relinquunt,* καταλείπουσιν et 450, 5 *Destituent : relinquent* καταλείψουσιν ambas ad E. 1, 60 referendas esse censeo. Haec ad vulgatam, illa ad discrepantem quandam eiusdem versus lectionem, quae tempus verbi praesens exhibuerit, videtur spectare, cf. *pascuntur* formam, quam

in versu priore cum hoc proxime copulato pro *pascentur* codex P ostendit.

Gl. 450, 17 *Deus : Caesar Augustus* ad E 1, 6 pertinere verisimile mihi videtur.

Gl. 450, 44 *Diluvium : graece* κατα<κ>λυσμόν, *latine tempestas* cum gl. H. 186 omni ex parte consentit. Pertinet ad Aen. 12, 205, ubi *Diluvio* forma exstat, et legendum igitur est <*Diluvio*>. *Diluvium* e q. s, ut iam Hagenus monuit.

*Gl. 450, 48 *Dinumerans : computans* ad Aen. 6, 691 referenda est.

Gl. 450, 53 *Dii penates : dii domestici,* H. 181, ex Aen. 3, 148; 5, 632; 8, 39 sumpta est.

*Gl. 451, 26 *Distendunt : implent* ad Aen. 1, 433, G 4, 164, pertinet.

Gl. 451, 33 *Discerptum* (*Discretum* codd.) : *devastatum aut* (*at* codd.) *ab arbore detractum.* Sic, ut dubitans locum profert Goetz, ego quoque restituere velim, glossam ad G. 4, 521 sq. revocans, ubi Orpheus a mulieribus Thraciis his verbis dilaceratus esse perhibetur : *inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi | discerptum latos iuvenem sparsere per agros.* Paulo supra septem eum menses in antro Eurydicen deplorantem et mirifica illa canendi arte *mulcentem tigris et agentem carmine quercus* poeta vixisse narrat; deinde collationem inducit de fletu lusciniae sumptam, quae *sub populea umbra* (v. 511) et in *ramo sedens* (v. 514) pullos ab aratore nido detractos (cf. v. 513 et verba glossae *ab arbore detractum*) lugeat. Iam non absurdum videtur existimare homini illi, qui verba glossae conscripsit, arboris notionem in prioribus versibus eminentissimam tanta vi obversatam esse, ut Orphea, cum a feminis corriperetur, truncum amplexatum esse animo fingeret, ad hoc ipsum illud *discerptum* spectare credens. Quod ad priorem interpretamenti partem attinet, *devastandi*

verbum alias quoque obiectum hominis vel hominum secum habere commemoro, velut Ov. Met. 13, 255 sq.

*Gl. 451, 47 *Distulerant : disparserant* ad Aen. 8, 643 referenda est.

*Gl. 451, 64 *Diverberat : disiungit vel in<ter>venit* (sic Thes. gl.; cf. alias glossas ibi enumeratas) ad Aen. 5, 503; 9, 411 spectat.

*Gl. 452, 13 *Donaria : loca donorum* ex G. 3, 533 petita est.

*Gl. 452, 15 *Ductores : duces, principes,* ἄρχοντες ad Aen. 2, 14; 4, 37; 5, 133; 8, 6; 9, 226; 12, 562, G 4, 88 referri potest.

*Gl. 452, 29 *Detrudunt : abigunt, depellunt* ex Aen. I, 145 sumpta est.

Gl. 452, 32 *Duo signa* : δύο ζῴδια, *id est philosophus astronomus* ad E 3, 40 pertinet. Verba *id est* e. q. s. Goetz iniuria uncinis seclusit; spectant nimirum ad Cononem et illum alterum, cuius nomen non profertur. V, 496, 69 glossa hoc modo correpta exstat : Δύο ζῴδια : *philosophus, astronomus.*

*Gl. 452, 52 *Effera : ferox* (sic Thes. gl., *efferax* codd.) ad Aen. 4, 642; 7, 787; 8, 6; 10, 898 referenda est.

Gl. 453, 47 *Ergo: itaque, igitur,* τοίνυν ad maximum locorum Vergilianonem numerum revocari potest.

Gl. 453, 55 sic emendandam esse censeo : *Erinys* (*Erunis* codd.): *furia* (*furiae* codd.) νέκυς (*recuse* codd.), lemma ex Aen. 2, 337; 7, 447, 570 sumptum est. Postquam *Erinys* in *Erunis* abiit, quia haec forma pluralis est existimata, *ae* (*e*) terminatio vocibus interpretamenti ad speciem ubique pluralium formarum efficiendam addita est.

Gl. 454, 35 *Exorta nata bene dicit* (*bene dicit* a Goetzio male uncinis circumdatum est) fragmentum, nisi me fallit, eius est interpretationis, qua de supra verba feci; iudicium continet rhetoricum, ad Aen. 3, 99, si recte existimavi,

spectans. (Cf. glossas proxime infra explicatam et 455, 22, ubi fragmenta similia sine dubio exstant.)

Gl. 454, 55 *Exue : expone, ab exuenda* (-*o* codd.) *veste*, H. 280 *Exue mentem : expone* ad Aen. 4, 319 referenda est. *Exponendi* verbum, sicut iam antea *deponendi*, extremis Latinitatis temporibus de rebus ab usu sensuum remotis dicebatur, cf. Roensch It. u. Vulg. p. 364.

Gl. 454, 59 (*Externus praeteritum seu rex extraneus* codd.) contaminatam esse Goetz recte coniecit, *rex* vocabulum iniuria seclusit. Legendum est hoc modo : *Hesternus : praeteritus, Externus : rex extraneus.* Posteriorem saltem glossam Vergilianam arbitror, ad Aen. 7, 424 pertinentem, ubi *externus* subiectum, *in regnum heres* complementum quod appellatur praedicativum visum est.

*Gl. 454, 60 (*Externi pridiani vel extranei* codd.) similiter contaminata est (cf. Loewe Gl. N. 153); dissolvenda est ita: *Hesterni : pridiani* et *Externi : extranei.* Glossa posterior, = H 261, ex Aen. 6, 94; 7, 98 petita est.

*Gl. 454, 62 *Extenta : extensa*, = H 27, ad Aen. 7, 226 spectat.

Gl. 455, 22 *Exutas vinclis : nexu liberatas* (*Exutus vinculis nexus liberatus* codd., *Exutus vinculis : nexu liberatus* Thes. gl.), *summatim ad novissimum* (*summate aut nobissimum* codd.; Goetz contaminationem falso suspicatur) ad Aen. 2, 153 referenda est, quod quidem duobus rebus apparet. Primum enim glossa eadem apud Hagenum 288 truncata forma *Exutas* (*Exutus* codd.) *vinclis nexu* (post rasura) redit, deinde verba illa *summatim ad novissimum* huic potissimum loco optime conveniunt; summatim nimirum verbis lemmatis denuo poeta complectitur, quod paucis ante versibus (146 sq.) sic exposuerat: *Ipse viro primus manicas atque arta levari | vincla iubet Priamus.*

CAPUT III.

Singulae tractantur glossae.

435, 5 *Abaenis : aereis aeneis.* Quam glossam ne *Ab aënis : aereis, aeneis* legamus, quod primo se aspectu commendat, impedimento est quod omnibus fere ceteris eiusmodi locis, quibus nomen aliquod cum praepositione coniunctum explicatur, haec interpretamento etiam additur, sicut in glossis 435, 2, 16, 34; 436, 4, 20, 54; 437, 5, 25, 26, ut ea solum exempla afferam, quae sub *A* littera occurunt (in glossa 441, 46 interpretamenti verba instrumentum significantia per se nulla addita praepositione sufficiunt). Deinde si consideraverimus, quanta in scriptura minuscula saepe fuerit similitudo *h* et *b* litterarum, verisimile fiet glossam hanc fuisse: *Ahenis : aereis, aeneis:* quod ad diphtongum attinet, constat nihil interesse, utrum *ae* an *e* legatur.

435, 38 *Abscito : absentio.* Varie hanc glossam explicare viri docti conati sunt. Loewe (Gl. N. p. 173) imperativos in *-to* exeuntes verbis eius subesse existimans *Abscedito: absistito* restituere vult, Stowasser (Arch. I, 271) ita ut sequitur de glossa disserit: "Beide Wörter dieser von Löwe (Arch. I, 30) mitgeteilten Glosse sind heil. Wie von *scio scitor* sich ableitet, wie sich von *consciscere, desciscere* ein Intensivum **consciture, *desciture* denken lässt, so ist *abscito* zu einem vorauszusetzenden *absciscere* gestellt, als dessen Bedeutung gelten darf: anderer Meinung werden, seine Meinung aufgeben. Dieses Wort erläutert die Glosse passend durch *absentio*, das neben *dissentio, consentio, praesentio, per-*

sentio zu stehen kommt. Beide Wörter sind neu.“ Quarum sententiarum neutra mihi quidem probatur; illa enim a lectione codicum nimium recedit, haec verba novat audacius. Id tantum assentior Stowasserio glossam talem, qualis in codicibus exstet, sanam esse: aliter eam efferre et explicare volo. Inter vocabula illa rariora recentioris notae, quae in libro suo optimo Spicilegium addendorum lexicis latinis collegit Paucker, p. 2 *absentiare* etiam verbum invenitur, e sermone Petri Chrysologi, episcopi Ravennatis, 71 haustum. Ibi leguntur: *Fratres, quamdiu diabolus vario nequitiarum genere, multimoda arte fallendi, rerum aciem turbat, sensus hominum moresque confundit* e. q. s., *Christi regnum prolongat et absentiat a nobis.* Apparet *absentiat* formam, cum *absens* et *absentia* vocibus cognatam idemque valentem quod *absentat, absentem reddit,* transitivam, ut Paucker, non intransitivam, ut Thes. linguae Lat. iudicat, vim habere; ibi enim haec s. v. leguntur: „*Christi regnum prolongat et absentiat a nobis*, i. e. nimis diu abest.“ Simillimum verbum est *exsentiare,* cuius exempla nonnulla ex versione Itala affert Rönsch (It. u. Vulg. p. 192). His rebus expositis glossam nostram interpretari difficile non erit. *Abscito,* paenultima correpta ex *abs* et *cito* similiter ac *concito, decito* (apud Apuleium primum occurrit), *excito, incito, recito, suscito* compositum, *avoco* significat; nec male per *absentio* verbum hoc lemma explicatur.

436, 39 *Adsenti vitiorum: subditi vitiorum.* Num haec glossa ex ea, quae 436, 43; 437, 24 his verbis: *Appendix vitiorum: subditus vitiorum* occurrit, depravata est? Goetz ita sane censet, mihi inter se tantum distare videntur, ut vix una eademque haberi possint. Nescio an *Adserti vitiorum: subditi vitiorum* legendum sit. Nam siquidem non in libertatem modo, sed etiam in servitutem homines asserebantur, quidni *assertus* participium pro *servus, mancipium*

poni licuerit? Sic autem omnia bene se habent. Nihil impedit, quominus ex eodem contextu glossae fluxerint, quin vel verisimillimum est. De *r* et *n* commutatis identidem iam verba feci.

439, 16 *Ambitio: cupiditas aut honore* a (*ut* pro *aut* c). Goetz sic corrigit: *Ambitio: cupiditas aut honor[e]*. Sed quo iure *e* littera excluditur? Vel ubinam *ambitio honor* est? Cupiditatem, quod sciam, honoris ubique haec vox significat, et facillima emendatione hic quoque eandem habebit sententiam. Legendum nimirum est: *Ambitio: cupiditas ad honorem; ad*, quod non raro *at* scriptum est, communi cum permutatione in *aut* abiit, item atque in glossis 440, 42 (v. infra) et 442, 15 c *a* et *au* syllabae confusae sunt. *Cupiditas ad rem* bene dicitur, v. Georges s. v.

439, 41 *Am sterminio: confidentia* cum gl. II, 16, 35 *Amterminus:* διχόθεν ὅρος, II, 383, 33 Ὅμορος: *amiterminus:* Paul. ex Fest. 13 Th. *Amptermini: qui circa terminos provinciae manent* aliqua ratione cognatum esse recte, credo, Goetz (Thes. gl.) et Thurneysen (Thes. linguae Lat.) perspexerunt. Simul propterea opus erit omnes has glossas tractare. — Proficiscendum esse arbitror ab illo Ὅμορος: *amiterminus*, quod si ita restituerimus: Ὅμορος[1]: *amterminus*, optime glossa se habebit. *Amterminus* vocabulum, ab *ambi* praepositione et substantivo ei subiecto *termen* similiter atque *amburbium*, *ambarvalis*[2] derivatum, in iure civili et sacro proprie domicilium habuisse mihi videtur, de hominibus vel rebus ab utroque termini latere habitantibus vel sitis usitatum; scimus terminorum rationem antiquitus magni fuisse

[1] *I* vocalis, quae dicitur, parasitica est.

[2] Praeter eas voces, quas supra nominavi, verisimile est eadem forma, quin ipsi vocabulo *ampterminus* synonymum, id quoque *amfines* fuisse, quod verbis Charisii I, 231, 11 K. sine dubio subest; alterius generis voces *amsegetes*, *ambidens*, *ambilustrum*, *ambirium* sunt, in quibus *am(bi)* adverbii vel adiectivi, non praepositionis vice fungitur.

momenti. Glossam II. 16, 35, qualis in codicibus exstat cum superiore non consentientem, ad eandem sententiam redigemus sic emendando: *Amterminus* διχόθεν ὅρου (scil. οἰκῶν) Quod ad explicationem Festi-Pauli attinet, lemma ibi, sicut Lindsay existimat (Lindsay-Nohl die lat. Sprache p. 665), ex eodem Catonis Originum loco sumptum esse potest, cuius Macrobius I, 14, 5 mentionem facit, haec dicens: *Veteres an pro circum ponere consueverunt, ut Cato in Originibus "oratorum an terminum"* (*anterminum* assimulata littera nasali legendum esso pro certo habeo) *i. e. circumterminum et ambire dicitur pro circumire.* Quocumque haec verba Catonis spectaverunt, fortasse non absurdum est earum facetiarum exemplum hic suspicari, quibus vir ille clarissimus excelluit (cf. Plut. Cat. cap. 8 et 9), — Via iam praemunita ad ipsa *a a* glossarii verba nos convertamus. Virorum doctorum quos supra nominavi alter alteram proposuit sententiam. Goetz sic legere vult: *Amtermini: confines,* quod propter nimium discrepantem codicum lectionem probare non possum, Thurneysen *Amtermina: confinia* verum esse censet, quae quidem legendi ratio, e scriptura multo melior, satis probabilis videtur. Nihilo minus haud deterior saltem via insistetur, si ad codicum scripturam propius etiam accedentes *Amterminia: confinia* legemus. In lemmate *st* pro *t* positum est scriptione inversa[1] eiusdem generis, qua gl. 488, 30 *Vasticantur* pro *Vaticinantur* scriptum invenimus, *o* ex *a*, ut saepe, originem duxit; interpretamentum pro compendio vocis *confidentia* habitum, deinde totum illatum est hoc vocabulum. *Amterminium* substantivum nusquam sane nobis traditum exstat, considerantibus autem, quanta fuerit vocum huius formae multitudo, haec res non multum valebit. Quin simillimam ex eadem stirpe vocem habemus: *Exterminium* apud

[1] Cf. quae infra de gl. 450, 11 disserui.

Tertullianum, adv. Iud. 8 in., apud Augustinum confess. II, 4, 9, alibi, legitur. — Inter *ampterminus* et *amterminus* eadem intercedit ratio quae inter *sumptus* et *sumtus*.

439, 48 *Anclea: serotina vel unde auritur aqua.* Corrupto illo *serotina* Bücheler *seriola* substituere conatus est (v. Thes. gl.), quod verisimile est iis eum glossis commotum fecisse, in quibus *antlia laguenam* significare dicitur. Quae significatio etsi nullo litterarum Latinarum loco confirmatur, tamen veram esse crediderim; *antlia* enim vocem, Graecam proprie, varios usus ad vasa seu instrumenta hauriendi pertinentes habuisse glossae demonstrant:

1. *Rota exhauritoria; rota cisternae; rota,* cf. Artem. I, 48, Mart. IX, 18, 4, Suet. Tib. 51; v. etiam Paul.-Wiss. s. v.;

2. *Genus vasis quasi pigella* (haec vox genuina est, cf. Thes. gl. s. v.), *vas hauritorium, vasa hauritoria;*

3. *Laguena* (= vas unde hauritur).

Significationum earum, quibus 2 et 3 numeros praefixi, nullum, quod quidem lexica receperint, apud Graecos exstat exemplum; vocabula proxime cognata ἄντλος et ἀντλίον in priore saltem usu reperiuntur, velut Man. ἀποτελεσμ. VI, 424, Aristoph. fragm. 82 Dindorf[5], Epil. κωμῳδ. II, 889 Meineke (cf. ibidem IV, 78), nihilque obstare videtur, quominus ἀντλία quoque iam in domestica lingua duabus his sententiis praeditum fuerit; si minus, certe apud Romanos ortae sunt. — Nihilo minus coniectura Bücheleri, de qua supra verba feci, mihi non probatur. Primum enim scriptura librorum repugnat, deinde si glossas eas perspiciemus, quae in Thesauro sub lemmate *sentina* occurrunt, primo iam aspectu rem se aliter habere videbimus. Ibi enim locis non minus undecim huic vocabulo ipsum illud ἀντλία synonymum ponitur, quae res Graecorum etiam consuetudine confirmatur. Loco igitur, de quo disputamus, sic legendum est:

Anclea: sentina vel unde hauritur aqua. Quod ad *o* litteram formae *serotina* (i. e. *senotina*), attinet, illius rationem reddere difficile non est: iterum, ut in glossis persaepe, vocalem offendimus parasiticam. *Anclea (Anclia)* sine dubio secundum legem phoneticam Latinam ex ἀντλία ortum est.

439, 51 *Anec es*, 52 *Anes anus est sed ex hoc senectus.* Hae glossae admodum singularem praebent aspectum, et quidem Goetz, quid iis faceret, ignorasse videtur, cum in Thesaurum immutatae receptae sint. Ad rem expediendam duae nobis aliae glossae adiumento esse possunt. Primum enim in glossario Philoxeni quod vocatur haec leguntur: *Anet* γηρᾷ II, 17, 9 et *Anit* γηράσσει II, 17, 22 d, quarum glossarum illa proba, haec ita emendanda est: *Anet*, γηράσκει. Utraque ad versum Mercatoris Plauti 755: *satis scítum filum múlieris, verum hércle anet*, referenda videtur ubi *anet* lectio, quam *A C D* contra *amet* codicis *B* habent, sine dubio melior est (Hactenus Loewe, Prodr. p. 271). His subsidiis aucti priorem glossae 439, 52 partem sic restituere possumus: *Anet: anus est*, deinde hac fere ratione argumentandum erit: Propter terminationem in *s* exeuntem sequentis vocabuli *Anet* lemma in *Anes* corruptum est, tum scriba aliquis, verbis *Anes: anus est*, quod ad personas attineret, errorem inesse recte observans, ut huic mederetur, supra lemma tertiae, supra interpretamentum secundae personae formas addidit, hoc modo: $\overset{Anet}{Anes}$ *anus* $\overset{es}{est}$, id spectans, ut aut *Anes: anus es* aut *Anet: anus est* legeretur. Amplius etiam res processit, cum ex iis verbis *Anet es*, quae, sicut vidimus, ad corrigendum superscripta erant, nova glossa exstitit, sic tamen, ut propter confusionem communem *c* et *t* litterarum *Anec* pro *Anet* substitueretur. — Iam de posteriore glossae parte disserendum est, et quidem videamus, numquid ex aliis glossis auxilii hic quoque haurire possimus. Compluribus glossariorum locis substantivum quod-

dam *anas* occurrit, sic explicatum: *Anas* γῆρας κατ᾽ ὀργὴν θεῶν II, 17, 14; *Anate*: *sollicitudine, cura* V. 7, 22; 47, 12; Paul. ex Fest. 29, 9 M: "*Anatem* morbum anuum dicebant, i. e. vetularum, sicut senium morbum senum."[1] Hoc ipsum vocabulum si ante *senectus* interpretamenti excidisse arbitremur, erraturos nos esse non credo, praesertim cum e scripturae ratione talis eventus satis probabilis sit. Primum enim in hac serie litterarum *exhocaassenectus* (*n* inter vocales positum etsi rarius, at tamen nonnumquam linea significatum est, vide Wattenbach p. 70) alterum *a* et alterum *s* omissa sunt, deinde alterum quoque *a*, quod hoc modo solum relictum parum intelligebatur, excludere promptum erat. — Postremo commemoro glossam quam tractavi ab ea quae p. 560, 57 eiusdem voluminis occurrit, cum ceteroquin prorsus congruant, eo differre, quod hic *sed ex hoc*, ibi *et ex hoc* legatur. Apparet alterutram coniunctionem ex altera exstitisse, quae res eo magis accidere potuit, quod *sed* interdum *set* scriptum est; e sententia nescio an *et* praeferendum sit.

440, 4 *Annilotas : senectus que in animis cedi ut* (sic c; *cedat aut* b, *cebat aut* a) *maledicta in viro.* Lemma *Anilitas* legendum esse glossa Maii, Auct. Class. tom. VI p. 507, docet, ubi *Annilitas : senectus* praebetur. Interpretamenti emendatio paulo difficilior est neque quisquam adhuc eorum, qui glossam attigerunt, satis prosper fuit: Bücheler *cedi* in *sedet* commutans sententiam, siquid video, parum respicit, A. Sonny (Arch. XII, 125) et Traube (Thes. linguae Lat. s. v.) satis audacter corrigunt, ille sic legens: *Anilitas: senectus, <amentia, fatuitas>, quae in feminis <con>cedi<tur>, maledicta in viro,* hic sic: *Anilitas: senectus, quae in anu misericordiae est, m. i. v.* Nemini eorum in mentem venit fortasse *inanimis* pro *in animis* legendum esse, quo artificio non

[1] Cf. etiam Pokrowskij, Arch. XI, 355.

multum abest, quin glossam sanaverimus. Porro enim *cedit* pro *cedi* vel *cedat* legas, et glossam hanc bonam habebis: *Anilitas: senectus, quae inanimis cedit, aut maledicta in viro. Inanimis* tribus Apuleii locis, Met. I, 3; 14 et II, 25, occurrit, usitatiori illi adiectivo *exanimis* fere synonymum; hic itidem spiritum significat anhelantem senum. Si autem quaerimus, quamobrem hac potissimum ratione lemma explanatum sit, fieri potest, ut etymon *anilitas* substantivi cum ipso illo verbo *an(h)elare* coniunxerit glossographus, praesertim cum in nostra congerie tanta sit copia glossarum etymologicarum, in quibus non semper id vocabulum, unde lemma derivatur, ipsum adhibetur. cf. e. g. 439, 33 (*Amnis* ab *ambi*, quod glossae non inest, derivatur) et infra sub gl. 456, 54. — *Maledicta* idem nimirum valet ac *vituperata*, transitive, ut in sermone posteriorum temporum saepe, usurpatum.

440, 19 *Antiare: aurire aut in aliquo loco officio merentur laborare. Anclare* pro *Antiare* recte restituit Goetz, verba *officio merentur* iniuria, ut credo, uncinis inclusit. Levissima enim correctione retineri possunt, si *merenter* pro *merentur* legas. *Merenter* adverbii, duobus tantum ex locis adhuc noti (L. Rénier, Inscr. Rom. de l'Algérie, 526; gl. Cyrill. II, 483, 2, ubi haec sunt: Ὠφελίμως *merenter*), novum sic exemplum nanciscemur. E scriptura nihil interest, utrum *merenter* an *merentur* legamus; utrumque enim sic, ut ultima syllaba lineola superscripta exprimeretur, scribi potuit.

440, 20 *Antiquare: veterem idest ut fuerit videre antiquam esse vel notare.* Hanc glossam quamquam Goetz immutatam reliquit, tamen vix genuina est; equidem sane nescio, quomodo verba eius, nisi insulsissima futura sint, interpretemur. — Dubium non videtur, quin in priore glossae parte, i. e. ante *vel* coniunctionem, de suffragiis agatur eorum civium Romanorum, qui in comitiis legem a magistratu aliquo pro-

positam antiquaverint, quam ipsam significationem habebimus, si *videre* a *iubere* ortum esse existimabimus et *antiquam* praeterea excludemus, ut hoc modo legendum sit: *Antiquare: veterem, id est ut fuerit, iubere esse vel notare. Veterem*, scil. *legem*, glossographus novae, nuper promulgatae, opponit, cf. dictiones illas usitatas *veteres* et *novae*, scil. *tabernae* (alia exempla permulta huius generis vide apud Draegerum, Hist. Synt. I, 59 sqq. At enim quo iure *antiquam* extruditur? Interpolatum est, nisi me fallit, hoc vocabulum, ut etymon lemmatis planius exprimeretur, cf. glossam 440, 4 supra explicatam. — *Notare* denique illud, quod interpretamentum concludit, recte se habet; cf. gl. II, 21, 19 *Antiquare* καλλιγραφῆσαι et *antiquarius* substantivum, hominem scripturae antiquae peritum in cod. Theod. 4, 8, 2, in glossis, alibi, significans.

440, 42 *Apagete : aperite*, Nettleship (Journ. of Phil. XIX, 115) sic emendandum esse censet: *Apagite : abaetite*, quod ea imprimis de causa mihi non probatur, quod *abaetere* verbum, ab antiquissimis tantum scriptoribus usitatum, a glossographo explicandi causa adhibitum esse non credo. Praestat hoc modo emendare: *Apagete : auferite. Ferre* apud posteriores Romanos omnibus in personis vocalem terminationibus praepositam videtur habuisse, v. exemplorum gratia Georges, Lex. d. lat. Wortf., sub compositis verbi (*auferite* forma adeo ipsa ex cod. Pal. recens. Italae, Luc. 19, 24, demonstrata est), Rönsch, It. und Vulg. p. 286, Thes. linguae Lat. sub verbo *aufero*, Pokrowskij, Arch. XV, 122. De *p* et *f* saepe confusis cf. Niedermann, Contributions à la critique et à l'explication des gloses latines, Neuchatel 1905, p. 7. Verum est pluralem formam *Apagete*, quantum vidi, nusquam praeterea exstare; quid autem obsit quominus in fabula aliqua amissa occurrerit, ignoro.

441, 48 *Athomae : apertione* in Thes. gl. deesse videtur. Legendum est *Atonia : apertione,* collatis glossis III, 597, 13 *Atonia : debilitas vesicae, quae urinam continere non potest,* III, 510, 41/42 *Atoniae* (*athomiae* codd.) *vesicae [athomiae] : debilitates* (*debilitatem* codd.) *stomachi. Atomiae* illud, quod hic in codicibus post *vesicae* sequitur, ut iam Goetz existimare videtur, dittographia ortum est.

441, 53 *Atrux anus ato mendax* ex duabus constare glossis Goetz existimat, illa an *Atrox : amarus* legenda sit dubitans, ea quae restant cum glossa 459, 23 *Hato : mendax,* eadem forma duobus aliis locis, IV, 242, 51 et V, 503, 7 redeunti, conferens. Quae comparatio ut mea sententia recta est, cum concludere liceat *ato mendax* et *Hato mendax* ex eadem origine exstitisse, ita neque glossam contaminatam duco et emendandi illi conatus, qui ad partem posteriorem facti sunt, absurdiores videntur, quam ut vel in deliberationem veniant; nam et *Aretalogus* (Warren) et *Halapanta* (Heraeus) et *Blato*[1] (Sonny l. l., gl. II, 30, 47 comparans) nimium quantum ab illo *(H)ato*, quod in codicibus traditum invenimus, abhorrent. — Ut statim dicam, quid sentiam, glossa sic restituenda est: *Atrox avus : ato mendax.* Commode enim accidit, quod apud Ducangium, ed. Favre, *ato* vocabulum repperi, e lege quae vocatur Romana Utinensi,[2] lib. 5 tit. 1, laudatum, ubi haec sunt: *Nam in Atonis de patris hereditate, nepotes vel neptias nihil perdunt,* et ibidem mox: *Post mortem Atonis intestati* e. q. s. Quibus verbis cum iis cod. Theod. locis collatis ad quos referuntur (vide apud eundem), apparet *ato* idem esse quod *avus.* Glossa ad scriptorem nescioquem, cuius verba laudantur, pertinet. Quod autem ex interpretamento

[1] Quod ad hanc vocem attinet, persuasum mihi est *Blatero* legendum esse; *er* syllaba compendio scripta saepenumero excidit.

[2] De hac lege vide e. g. Teuffel, Litteraturgeschichte pag. 1169.

nova glossa orta est, id inde explicemus, quod *ato* et ipsum ab *a* littera incipiat. Facile enim fieri potuit, ut pro lemmate haberetur, deinde per inconstantiam illam sermonis *h* litteram tum addentis tum dementis sub huius litterae glossas deferretur.

442, 38 = IV, 24, 33 *Bacue : clamare* Goetz iis quae *boare* verbum explicant glossis immiscet, Nettleship, Journ. of Phil. XIX, 116, *Vagire : clamare* legendum proponit. Quae coniectura Nettleshipii ut per se non omnino repellenda videatur, tamen aliter rem se habere credo. Casu enim animadverti in prima *a a* glossarum codicem Vindobonensem a Goetzio in apparatum non receptum,[1] cuius initium p. 138 Prodr. exscribit Loewe, *vacuae* pro *vae vae* praebere. Hac corruptela ducti jure quodam eo quoque de quo nunc agitur loco *vae vae* legere possumus. Interpretamentum in *clamore<m>* corrigendum esse censeo.

443, 2 *Bellicem : publicem* ubi in Thes. gl. lateat, nescio; equidem glossam nusquam invenire potui. Legendum est *Vellicem : publicem*. *Publicare* idem significans duobus in aliis quos repperi glossis revertitur, IV, 382, 20 *Publicatus : detectus, infamatus* et IV, 330, 54 *Diffamatur : publicatur, detegitur*.

445, 56 *Cicerones : noΓmia* primo non sine admiratione aspicimus. Quid sibi vult signum illud gammae Graecae simile, quod media voce eminet? Emendationes eae, quas in Thes. gl. dubitans proposuit Goetz, ut legeretur *Cicerones : nomina* vel *Cicerones : Ciceronis synonyma*, nec sententiae nec scripturae satisfaciunt. Immo *-mia* terminatio prorsus recta videtur, et cum de nomine explicando agatur, non alienum est suspicari vocem Graecam in -ωνυμία exeuntem corruptelae subesse. Legendum igitur arbitror *Cicerones : homonymia*. Opus tantum est totam glossam maiusculis litteris, interpretamentum praeterea compendio scribere, sic fere: CICE-

[1] A et B litteras tantum continet.

RONESOIMIA. Deinde linea superscripta bifariam confusionem effecit, cum priore loco *n* falsum excitavit, posteriore cum *i* infra posito in unum signum coaluit. — *Homonymia* idem est quod *communitas nominis* vel *numerus hominum cognominum, familia.*

446, 10 = V, 494, 53 *Clanes :bene agere*; V, 564, 40 *Clanes: bene age.* Satis, ut mihi videtur, temere Bücheler hoc modo legendo: *Clangere : orationem bene agere* glossam restituere conatur. Tutiorem nescio an viam inituri simus sic emendantes: *Clarere : bene agere.* Primum enim ex scriptura illa interpretamenti *age* concludas licet compendium pro *er* saepe usitatum (v. Wattenb. p. 61) hic positum fuisse. Deinde *Clarere* verbum eodem pacto scriptum fuisse statuamus et omnia plana erunt. Virgula enim illa *s* litterae simillima pro additamento habita et in glossam per hanc formam detrusa est. — *Agere* in latinitate posteriore idem saepe valuit quod *vivere.*

446, 23 *Clivus : arciosus seu ascensus.* Lemma significationem usitati vocabuli paucis tantum aliis locis traditam confirmare, interpretamentum exemplum novae prorsus vocis suppeditare videtur. Nam quod *arciosus* an dittographia eius quod sequitur *ascensus* ortum sit Goetz dubitat, id mihi parum probatur. Melius, siquid video, hac emendatione librorum memoriam servabimus: *Clivus : arduosus seu ascensus. Clivus* adiectivi non numquam vice functum esse expressis verbis Isidorus testatur, XV, 6, 5: *Clibanus a clivo dictus ab eo quod in erectione sit collectus. Clivum enim ascensum dicimus sive flexuosum.* Eadem res exemplis apparet Nonii, 194, 29 M: *Clivus generis masculini, ut plerumque. Neutri apud Memmium invenimus, cuius auctoritas dubia est: "Ne ardua nitens fortunae escendere cliva." Cato de tribunis militum (30, 2): "loca ardua et cliva depressa."* Tertium huius usus testimonium

una saltem glossa praebet: *Cliva : aspera, difficilia* apud Placidum, V 14, 29 = V 55, 25, legimus.[1] De lemmate hactenus. Quod ad interpretamentum attinet, *arduosus* alibi nusquam traditum esse iam indicavi; non autem desunt alia exempla adiectivorum, quae in lingua posteriore *-osus* terminatione similiter amplificata sint, cf. *anxiosus*, Cael. Aurel. chron. III, 8, 108, *improbosus* Ps. Cypr. de sing. cler. 26 Hartel, *strenuosus* in glossis, alia. Accedit, quod hoc modo legentes corruptelam librorum facile explicare possumus: *d* in *ci* dissolvere promptum erat, *u* linea scriptum evanuit.

447, 8 *Contrusus : protervus seu seditiosus.* In hac glossa explicanda de duabus rationibus cogitat Goetz: aut enim *controversus* lemmati subesse aut glossam contaminatam esse vult. Ne mihi quidem illa emendatio videtur spernenda, ita tamen, ut pro adiectivo pleniore *controversus* forma eiusdem vocabuli correpta *contro(r)sus* (*contru(r)sus*) substituatur. Quod si recte iudicavi, hac glossa correctio ad versum 592 Menaechmorum a Leone in Mus. Rh. 40 p. 169 facta, a Lindsayo in praef. Capt. p. 22 recepta, qua *controversiam* in *controrsiam* mutantes ut versus legi posset efficere voluerunt, quodammodo sustinetur; sed cum verba codicum et in hoc versu et in eo qui sequitur satis incerta sint, huic rei non multum tribuo. Nihilo minus formam illam breviorem *contro(r)sus* hic illic in usu fuisse satis probabile duco, talium eiusdem stirpis confirmationum, quales sunt *aliorsum, altrorsum, dextrorsum, introrsum, laevorsum, retrorsum, sinistrorsum* et imprimis adiectivi *prorsus* ratione habita. De consuetudine illa has voces sine *r* littera scribendi disserere opus non est; de *u* pro *o* posito v. Lindsay-Nohl p. 37, Seelmann, Aussprache p. 211.

[1] Dubiae hae sunt glossae: V, 277, 62 *Clivus* (*Clivosi* Goetz): *flexuosi, montuosi,* II, 573, 35 *Clive : difficile*; V, 565, 42 *Clinius* (*Clivius* Goetz): *pronius, deterius.*

449, 9 *Cuniculum : licentia fandi.* Errorem admisit Goetz, glossam ab ea quae compluribus in glossariis hac forma: *Cunabulum : initia infantiae* traditur, corruptam esse existimans, quae corruptela sane satis videtur singularis. Legendum est sic: *Cuniculum : licentia<m> fum<an>di. Cuniculi* vocem apud nescioquem iuris scriptorem ad servitutem quandam spectavisse certis aedificiis impositam, qua fumum e domo vicina emissum perpeti incolae cogerentur, verbis Ulpiani Dig. VIII, V, 8, 6 et 7 concludo; ibi enim, postquam in iis quae antecedunt sententia de eadem re diversa Aristonis, qui huiusmodi servitutes legitimas esse negaret, exposita est, contra quam sententiam Ulpianus ipse disputat, hoc pacto de Pomponio verba facit: *Apud Pomponium dubitatur, libro quadragensimo primo lectionum, an quis possit ita agere licere fumum non gravem, puta ex foco, in suo facere aut non licere. Et ait magis non posse agi, sicut agi non potest ius esse in suo ignem facere aut sedere aut lavare. Idem in diversum probat: nam et in balineis, inquit, vaporibus cum Quintilla cuniculum pergentem in Ursi Iuli instruxisset, placuit potuisse tales servitutes imponi.* Observes hic non solum *cuniculi* sed etiam *fumi* vocabulum, cuius verbum derivatum glossae inserui, occurrere. — *Fumandi* forma *fa͞ndi* olim scripta fuit, quae scriptura a codicum linea tantum differt. Quod denique *cuniculus* hoc loco *ius cuniculi* significat, conferendae sunt tales dictiones similibus in causis usitatae, quales sunt *via, iter, actus, aquaeductus,* aliae.

449, 32 *Deiecit: adlectavit* c, *Deiecit: allentavit* a b; cf. V, 496, 13 *Deiecit: allentavit, prohicit;* V, 451, 28 *Distruit: deiecit, alletavit* c, *Distruit: deiecit allentavit* a; V, 497, 9 *Distruit: deiecit, allentavit.* Verborum *allentare, allectare, alletare* primum Goetzius ubique verum existimat, glossae *Distruit* e.

q. s. tamen interrogationis signum praemittit. Contra *allentare* equidem ne ei quidem lemmati, unde profecti sumus, accomodatum arbitror. Nam ut omittam nullum ceteroquin huius verbi, quod quidem ego noverim, exemplum exstare, quomodo *deicere* et *allentare*, si ab adiectivo quod est *lentus* derivatum accipimus, synonyma esse possunt? Ut videtur, non magis quam *destruere* et *allentare*. Immo persuasum mihi habeo *allectare* veram esse lectionem comparato verbo neo-Italico *allettare*, quod idem ipsum atque *deicere, destruere* significans de frumento imbribus vel tempestate humi depresso dicitur. *Alletare* nihil aliud est nisi tertia huius verbi scribendi ratio (cf. *autor* = *auctor*, App. Prob. IV, 198, 30 K., ceteraque exempla a Seelmann, Aussprache p. 348, allata) *allentare* autem forma leviter ex illa corrupta. — *Allectare, alle(t)tare* a substantivo quod est *lectus* derivatum esse opus vix est commemorare.

450, 2 *Desponsin: sterelis;* cf. IV, 50, 30 *Desposin: steriles* (vel *sterilis*). Varias haec glossa excitavit emendationes; quarum omnium id commune est quod ad adiectiva a δεσπότης vocabulo derivata lemma refertur: Nettleship igitur (Journ. of Phil. XIX, 119) *Despotici: eriles,* De-Vit Δεσπόσιοι: *heriles,* Buecheler Δεσποσύνους: *eriles,* Schlutter Euseb. eccl. hist, I, 6 comparata Δεσποτικοί: *id est heriles* legere volunt. Quarum emendationum nulla codices tam arte sequitur, ut accipi possit. Quid si *Desponsa: insterilis* legendum sit? *Insterilis* enim et *insterilitas* quamquam nullo antiquorum scriptorum exemplo probari possunt, tamen et ad solitas leges ficta sunt et medio saltem aevo in usu fuerunt, cf. Du Cange s. v.: *Tam in pratis, vineis et nemoribus, quam in terris sterilibus et Insterilibus* et *Pro ubertate pluviae seu temperantia aeris, pro Insterilitate pluviae* etc. Nostro nimirum loco *insterilis,* de femina dictum, idem valet ac *pubes* vel *adulta* et hoc sensu

positum lemma explicare posse videtur. Ad codicum litteras lectio ea, cuius auctor sum, quam proxime accedit.

450, 11 *Detricatio: commendatio;* V, 496, 44 *Dettricatio: commendatio.* Goetz sub hac glossa ad eas refert, quibus *districare* (vel *destricare*) verbum, in lexicis non inventum, explicatur, et quidem recte; apparet enim illa lemmata ex *districatio* orta esse *s* et *t* litteris, ut in vulgari saepe pronuntiatione, assimulatis (cf. de hac re Schlutter, Arch. X, p. 197 sq.). Verum quomodo *districatio commendatio* significat? Credo me non errare, si *commendatio* pro *commentatio* positum esse contendam. Nec tamen mero scribae errore *t* in *d* corruptum est; immo potius aliud hic pronuntiationis rusticae vestigium deprehendimus (vide e. g. Seelmann p. 309). *Rem districare* idem fere est ac *rem commentari.*

450, 18 *Devaricat: preobet;* IV, 51, 5 *Devaricat: praeobet* (*pouit* c d); V, 189, 23 *Devaricat: proeobit* cod. Palat., ubi *provehit* superscr. man. 4. Dubium non videtur, quin *Divaricat: promovet* legendum sit, cf. 450, 20: IV, 53, 32 *Devaricat: prostituit.* Propter similitudinem compendiorum (v. Wattenb. p. 64) prioribus locis *pro* in *prae* abiit, postremo aliqua ratione ambo in textum irrepserunt. *Provehit* meram coniecturam esse credo.

450, 32 *Dierme: turpis;* IV, 228, 46 (*turpes* a b d); 229, 4 *Diermi: turpis;* cod. Cass. 439[5] (cf. Loewe Gl. N. p. 151) *Diernis: turpes;* V, 496, 63 *Dierni: turpes:* V, 496, 58 *Dierme: turpe.* De his glossis etiam Loewe inops fuit consilii, l. l. *Aschemus: turpis* legendum proponens, quod quidem refellere vix opus est. Non magis Goetz, in lemmate *Deformis* vocabulum quaerens, sententiam mihi probat. Num temerarior quam oportuit videbor, si adiectivum nondum demonstratum *Denervis (-us)* omnibus his glossis subesse coniciam? Certe sive scripturam sive vim respicis verborum, bene se habet haec lectio, id obviam esse concedo, quod, ut iam dixi, alibi nusquam vox

illa tradita exstet. Consideres autem praeter *enormis* vocabulum etiam *denormis* in usu fuisse, cf. Porph. ad Hor. sat. II, 6, 9; fortasse igitur verisimile ducas eadem ratione iuxta *enervis denervis* fictum esse, cf. etiam *deformis*, *degener*, *delirus*. Exitus varii lemmatis duabus vocis declinationibus explicantur, cf. *enervis* et *enervus*.

450, 33 *Diexenum: dextrum seu diesextum*; V, 496, 60 *Diexenum: dextrum, diexestum*. Huic glossae aliquid cum iis, ubi mensurae vocabula *bisextum* et δίξεστον componuntur, commune esse Goetz suspicatur. Sed neque quomodo, si ita sit, glossam restituamus, scio, neque ulla re haec potissimum coniectura commendari videtur. Varias vias ingressus in hac denique lectione constiti: *Diem serenum: dextrum [seu diem sextum]*. Quam primum e scripturae ratione examinantes videbimus summa cum probabilitate ab iis quae tradita sunt derivari posse. Meminerimus enim iam primo post Chr. n. saeculo *x* et *s* in unum confluxisse ita, ut nullum iam neque in scribendo neque in pronuntiando inter eos sonos discrimen haberetur (v. Niedermann l. l. p. 44 et cf. Cap. II, gl. 454, 59; 60). Quod ad *er* syllabam attinet, novum hic exemplum eius generis occurrit, quo de supra in gl. 446, 10 emendanda disserui (cf. etiam v. gr. 459, 2, ubi *Glomibus* pro *Glomeribus* invenitur). — *Serenus* nonnumquam idem ipsum valet quod *dexter*, velut Sil. 8, 546 *rebus serenis*, 15, 53 *horae serenae*. Verba denique interpretamenti *diem sextum* eam lemmatis formam *Diem senum (xenum)* explicant, quae hodie exstat, sive re vera talis glossa propter litterarum consensum cum illa altera commixta est, sive, id quod similius veri crediderim, librarius aliquis haec verba adiecit. Utcumque autem haec sunt, certe *senus* numeri ordinalis instar interdum obtinuit, cf. ex. gr. auct. argumenti Thebaidis Statii *Argiam flentem memorat duodenus et ignes* (scil. *liber*) et carmen 736 Anthol.

Lat., ed. Riese, ubi de diebus mensium *undeno, quindenum, denam*, inde *duodena cohors* eodem sensu ac *duodecima cohors* dicitur.

452, 38 = 497, 46 *Ecuit : meruit:* IV; 335, 25 *Elicuit : deportavit, promeruit;* IV, 512, 14 *Elicuit : meruit. Meruit* Goetz suspectum habens pro eo *eruit* legendum proponit, mihi codicum lectio ita posse retineri videtur, ut obiectum animi motum significans, velut *iram* vel *odium*, subaudiamus. Hoc enim in usu verba ea de quibus agitur fere synonyma sunt.

452, 53 *Effeta : largiter fluens;* IV, 60, 26 *Effaetha : largiter fluens.* Mirum est, quot haec glossa viris doctissimis scrupulos iniecerit. Nam si in Thes. gl. lemma revolveris, haud minus quinque emendationes ibi occurrent: Landgraf (Arch. IX, 373) aut *Fetans* legere vult aut contaminationem suspicatur, Heraeus (ib. X, 510) vocem hebraicam quae est *Epheta* substituit, Bücheler coll. Lachm. ad Lucr. p. 364 *Efferta* conicit, ipse denique Goetz gl. IV, 60, 10 *Effluit : largiter fluit* auxilio vocat, ut contaminationem habeat. Id omnes videtur effugisse, quod glossa in Thesauro proxime sequens, II, 577, 54, ad superiorem explicandam omnia quae opus sunt conferat. Est autem haec: *Effeta : quae lac habet, de parturiente.* [1] Hinc, nisi vehementer erro, luce clarius sequitur, ut verba illa *Effeta : largiter fluens* optima sint, dummodo *fluens* sensu qui est *lactans* accipias, quod quid impediat, non video; *Fluere* enim alias quoque non modo de variis humoribus ex herbis vel animalibus excretis, sed etiam de ea ipsa re, quae humorem emittit, dicitur. *Effeta* igitur hoc loco feminam significat, quae cum nuper partum ediderit, lactis plena est.

---

[1] Sic, ut codd. habent, lego; quod enim v. d. Vliet (Arch. IX, 302) *de partu recente* pro *de parturiente* intulit, hoc eum ideo fecisse apparet, quod *d. p.* falso cum *habet* verbo coniunxerit, non, ut oportuit, interpunctione posita *dicitur* vel eiusmodi aliquid subaudiverit.

452, 55 *Effemin<a>ta* (inter *n* et *t* rasura): *septus stimata:* V, 497, 62 *Effeminita : reptus stimata:* IV, 60, 29 *Effeminita* (*Effeminata* a): *stimata.* Ne ad hos quidem locos coniecturae Landgrafii (l. l. p. 374) satis prosperae fuerunt: suadet enim, ut illic *Effeminatus : stupratus, exinanitus,* hic *Effeminatus : exinanitus* legatur. Bücheler minus verba tradita laedit, *a a* glossam sic corrigens: *Effeminata : saepius stigmata;* quomodo autem hoc pacto glossae partes e sententiae ratione coniungamus, parum apparet. Praestat mea sententia sic emendare: *Effeminata : saepius stimulata. -ul-* syllaba tres lineas directas complectens perfacile pro *m* littera haberi, tum superscripta intercidere potuit. *Membra* vel aliud eiusmodi nomen subaudi.

453, 12 = V, 498, 13; 568, 18 *Ellum : coclearium.* Quoniam nullum linguae latinae *Ellum* vocabulum inest, de glossa emendanda vel certe explicanda cogitemus oportet. Et quidem, si vera vidi, illa forma alia tantum ratio est *Hilum* vocis scribendae; quae varietas etsi exemplo caret, tamen eiusdem generis esse videtur atque *cŭlleus, lămmina,* ut exempla afferam, cum *cūleus, lāmina* formis comparata: *(H)illum* et *(H)ellum* promiscue videlicet scribi poterant. — Iam ad sententiam. *Cochlearii* substantivum mensuram vel pondus minimum, certae tamen magnitudinis, significavisse Isidorus testatur, Orig. 14, 25: *Cochlear mensurarum pars minima, quod est dimidia pars drachmae, appendens siliquas novem.* Hoc vocabulo nescio an *Hilum,* et ipsum exiguae rei significatione praeditum, explanatum sit.

453, 56 *Erutus : cursor.* Hic quoque ad remedium illud glossam contaminatam ducendi, non nisi cogente necessitate permissum, Goetz confugit. Immo persuasum habeo legendum esse *(H)erulus : cursor.* Gens enim Herulorum, postremae antiquitatis memoriae multifariam immixta, propter pedum celeritatem conspicua erat, cf. Iord. Get. 117 *(Heruli)* . . .

gens quantum velox, eo amplius superbissima: propterea etiam in exercitibus tum Romanis tum aliorum populorum expediti illi homines stipendia merebantur (cf. infra in annot. V, 568, 17). Iam verisimile est eos, ut *cursor* vocabulum indicare videtur, apud Romanos nobiles aliis quoque muneribus, velut litteras perferendi, carpenta vel lecticas antecedendi, functos esse.[1]

453, 59 *Estidram: quam veteres conapum nomina s̃t.*[2] Nettleship quem errare in Thes. recte dicit Goetz, sic scriptum fuisse censet, Journ. of Phil. XIX 121[2]: *Oestrum* (vel *Asilum*) *quem veteres tabanum nominarunt.* Tam facile glossa non expeditur, sed cum quibusdam aliis comparata non inutilis est ad perspiciendum, qui in huiusmodi reliquiis casus interdum valuerint. Quod ut quam facillime appareat, quattuor in genera omnes has glossas distribuo.

I.

V, 195, 34 *Excetra secunda (fecunda* Goetz recte) *est velut inexhaustae malitiae, hoc est ydram quem* (leg. *quam*) *veteres nominarunt.*

IV, 70, 22 cod. Vat. 3321 *Excreta* (leg. *Excetra*) *: plena malitia, ira, (= hydra).*

II.

IV, 70, 22 a c *Excreta* (leg. *Excetra*)*: plena malitia, hoc est ira (= hydra), quam veteres conapum* (sic a; *canapum* c) *nominarunt.*

IV, 510, 39; V, 1°6, 5 = IV, 70, 22 c, excepto quod loco posteriore cod. Vatic. 1773 *canopum* habet.

III.

IV, 65, 41 *Estidram (= est hydram): quam veteres canapum* (*conapum* a) *nominarunt.*

IV, 511, 40 cod. Bern. 224 *Estidra (= est hydra): quam veteres canapum nominant[ur[.*

V, 453, 59 vide supra.

V, 195, 2 cod. Vat. 1773 = IV, 65, 41.

IV.

IV, 233, 9 d *Estrita (= est hydra): canaphum.*

---

[1] Obiter commemoro *Herulorum* gentem compluribus glossariorum locis cum *Etruscis* et *Venetis* confusam esse, cf. V, 453, 57 *Etrusci* (*Erusci* codd.): *Eruli seu Turci (Tusci?)*; V, 568, 17 *Etrusci* (*Eluscis* codd.): *Eruli seu caterva;* V, 498, 65 *Eruli: Turci (Tusci?), Venetici;* V, 499, 1 *Erulorum: Veneticorum.*

[2] Quid de glossa disseruerit Housman ibid. X, 50, quem et ipsum errare in Thes. resciscimus, nescio; quamvis enim conatus illius ephemeridis codicillum eum de quibus agitur adhuc comparare nequivi.

Glossae primi generis nihil habent, in quo admiremur. Inde autem cum ad secundum numerum transierimus, fieri non poterit, quin quid sibi velit *conapum, canapum, canopum* quaeramus. Nam nullum certe vocabulum ne simile quidem lingua Latina praebet, *excetram* vel *hydram* significans. Neque tamen aut Goetz aut Loewe, Pr. p. 403 de his glossis disputans, ullum de illa voce verbum facit. Quid igitur de ea statuamus? Hic denique, nisi me fallit, duas glossas offendimus contaminatas, et quidem eo quod in eam *excetra* vocis explanationem, quam supra V, 195, 34 legimus, interpretamentum ad *exedra* substantivum pertinens se insinuavit. Glossam enim quandam hac fere forma: *Exedra : canapium (conapium, canopium)* [1] illi alicubi finitimam fuisse iure meo concludere videor, iis glossis commotus quibus utraque vox sedile aliquod significare dicitur, cf. hinc V, 521, 2; 566, 15 *Conopeum : basterna vel sella Alexandrina,* illinc V, 357, 30 *Exetra (= Exedra) : sella;* 499, 38 *Exedra : d̃itas (?) thronus sublimis.* Nihil praeterea eiusmodi *exedra* vocis significationi obest; immo ab abside facile ad sellam ibi collocatam haec potuit transire, cf. gl. V, 641, 19 *Exedram : ubi lectum sit* (*lectum = lectus*, v. Dig. XXXII, I, 52, 9; XXXIV, II, 19, 8. Ad glossas contaminandas plurimum nimirum id contulit quod *c* littera assibilata et *t* in *d* converso (cf. supra ad gl. 450, 11 disputata et scriptionem contrariam glossae V, 357, 30 *Exetra* =

[1] Hanc varietatem addita forma Graeca κωνωπεῖον praeceptor et amicus meus Lagercrantz mihi explicavit. Ostendit enim vocem non, ut vulgo fit, a Graeco illo κώνωψ derivandam esse, sed potius cum nomine Canopi, urbis Aegyptiae, coniungendam, cuius urbis incolas mollitie insignes fuisse constat. Veram igitur formam in prima syllaba *a*, in altera *o* habere oportuit; tum vocalibus in utramque partem assimulatis hinc κωνωπεῖον, illinc *canapēum (canapium)* exstitit; *conapēum* denique vel ex his duabus formis commixtum vel merus scribendi error est. Sententia Lagercrantzii eo confirmatur, quod iam apud antiquos eadem interdum de hoc supellectilis genere etymologia profertur, v. Isid. XIX, 5, 4, vel certe origo Aegyptia praedicatur, cf. supra gl. V, 521, 2; 566, 15

Exedra) *excetra* et *exedra* prorsus eodem modo pronuntiabantur. — Tertii generis glossas fragmenta esse secundi iam Loewe (l. l.) perspexit, quarti autem Goetz ex illis amplius etiam contractam recte statuit.

454, 14 = IV, 67, 40; V 499, 22 *Exacrum : odibile simulacrum.* Iniuria, credo, Goetz ad *Exosum* lemma glossam refert. Nam peropportune hic adiectivi eius exemplum nacti sumus, unde *exsecrandi* verbum derivatum est. Restat, ut interpretamentum in formam aliquam, quae talis vocis sententiae congruat, redigamus, quod, nisi omnia fallunt, duabus litteris infigendis assequemur. Sic enim corrigere velim: *Exsacrum : odibile et simul sacrum. Exsacrum* igitur id dictum fuisse arbitror, quod propter molestiam et insuavitatem diis inferis sacrum haberetur.

456, 6 *Faver asper ravies.* Goetz *Favorabilis : aspirabilis*, Bücheler *Favor asper : rabies*, Sonny (l. l.) *Fauces asperae : ravies. ravies* variam *ravis* substantivi formam existimans, legendum esse censent. Quae omnes coniecturae statim refutantur, cum glossas duas sub *Vafer* lemmate laudatas consulimus, has dico: IV, 294, 42 *Vafer : callidus, asper* et nostri ipsorum glossarii 488, 14 *Vafer : versipelle<m>, astutus seu rabiens.* Nam hae glossae non modo lemma ei, unde profecti sumus, simillimum, sed etiam singulas interpretamenti voces continent. Proximum igitur vinculum inter omnes tres intercedat necesse est; sed quod vocabulum lemmati subesse putemus? Extrinsecus denuo subsidium petentes ne nunc quidem glossaria nos destituent. Persaepe enim in iis adiectivum quoddam *Bafer* redit, plerumque *grossus* explicatum [1] (v. Thes. s. v.), semel his verbis: *B. : grossus, ferinus, agrestis.* Manifestum mihi videtur hanc ipsam vocem

---

[1] Coniecturam Heraei *Bifer* prorsus supervacaneam duco.

in gl. 456, 6 solam, in gl. IV, 294, 42 et V, 488, 14 partim explicari, ita scilicet, ut his duobus locis *callidus* et *versipellis, astutus* ad *Vafer* lemma referenda sint. Aliter denique gl. IV, 399, 19 *Vafer : callidus, durus, stultus, subtilis* [1] vocem interpretatur, ubi *durus* et *stultus* eo, reliqua ad *Vafer* adiectivum revoco. Ut igitur omnes verbi explanationes iterum enumerem et simul componam, hae sunt: *grossus, durus, ferinus, agrestis, stultus, asper, rabiens.* [2] Iam de vi et usu adiectivi iudicare potes: ut uno verbo dicam, videtur hominem inhumanum et illepidum significavisse. — Sed quae tandem inter *Bafer (Vafer)* et *Faver* illud, quod lemma nostrum habet, ratio interest? Nonne, dixerit quispiam, eam legem violas, qua primam ullius glossae litteram temere mutare vetamur (v. Loewe, Prodr. p. 10)? Ita quaerentibus respondeo me glossam non commutare, sed exemplum hic exstare metathesis illius consonantium, quae in sermone cottidiano saepe facta est, v. ex. gr. Sommer, Lat. Laut- und Formenlehre p. 301; cf. etiam Schlutter, Arch. X, p. 11 sqq. Accedit, quod *v* et *f* litterae etiam tum, cum nulla est metathesis, saepe confunduntur, cf. de hac re Seelmann p. 241, Schuchardt Vokalismus I p. 183, III, p. 96, Niedermann l. l. p. 6, quorum exemplis addere possis huius glossarii gl. 449, 12, ubi *revenerator* pro *refenerator*, 490, 1, ubi *vociverare* pro *vociferare* et imprimis 456, 54 (v. infra), ubi similiter atque hic in prima glossae littera *F* pro *V* scriptum est.

[1] Hildebrandio, qui *dubius, astutus* pro *durus, stultus* legendum censet, non assentior.

[2] E glossa Osberni p. 75 ed. Maii, Auct. Class. tom. VIII: *Bafer : grossus, turgidus, ventriculosus* nova insuper, ut vides, interpretamenta fluunt; quae quamquam possunt proba esse, quoniam hic de corpore eaedem fere facultates praedicantur quae supra de animo, tamen testimonio illius hominis vanissimi (v. Loewe Pr. p. 243) non multum tribuo.

456, 22 *Fera* (*Feo* c): *tarda*. Cum alterutram vocem corruptum esse appareat, Goetz *Fera* in *Sera* commutat, hac autem emendatione in legem supra dictam peccat. Legendum sine dubio est: *Fera : parda*. Femina enim pardi interdum communi substantivorum mobilium ritu *-a* terminatione nominata est, v. Georges Wortformen p. 494, ubi tribus ex locis hausta forma laudatur, Acron. Hor. ep. 21, 1, 19, Mythogr. Lat. I, 39, Isid. XII, 2, 11.

456, 35 *Fetontiade : pat̄ a fr̄ibus unde fem̄ phetontis.* In Thes. gl. *fratribus* et *femininum* voces recte exscriptae sunt, *pat̄ pater* explicatum uncinis includitur, glossa praeterea cum Gr. Lat. II, 65, 7 collata, ubi de eodem nomine dicit Priscianus: *Phaetontides unde femininum Phaetontis.* Oportuit autem ibidem locum etiam paulo superiorem, p. 63, 11, comparari, unde facile secuturum fuit ut *pat̄* in *patronymicum* dissolvendum esset. Nam ibi sic disputat Priscianus: *Scire autem debemus abusive etiam a matribus et regibus sive conditoribus et a fratribus etiam patronymica solere formari, ut* e. q. s. Legendum igitur et interpungendum est *patronymicum a fratribus, unde* e. q. s. — Similis est condicio harum glossarum:

Codd:	Goetz:	Vera lectio:
453, 17 *Emilianus scipio pater idest emilii filius et propr̄.*	*Aemilianus : Scipio pater id est Aemilii filius et proprium.*	*Aemilianus Scipio : patronymicum, id est Aemilii filius, et proprium.*
453, 18 *Euripides : non pat̄, sed a loco*	*Euripides : non patronymicum, sed a loco.*	= Goetzii
467, 50 *Nectorides pater filius Nestoris.*	*Nestorides : pater (? proprium* Büch.), *filius Nestoris.*	*Nestorides : patronymicum, filius Nestoris.*
471, 16 *Octabianus caesar pater octavie filius.*	*Octavianus Caesar : pater (patronymicum ?) Octaviae (Octavii ?) filius.*	*Octavianus Caesar : patronymicum, Octavii filius.*

Ut vides, in gl. 453, 18 compendium illud *paẗ* Goetz ipse recte interpretatur. In gl. 453, 17, 467, 50, 471, 16 ex eadem scriptura, a librario aliquo perperam intellecta, *pater* ortum est.

456, 54 *Firbius : vir bonus* (*compositus* add. m. 2). De *Virbius* restituendo Goetz haesitat, *Vir pius* potius fortasse legendum suspicans: immo *Virbius* bonum est, etymon autem nominis in glossa a *pius* adiectivo deducitur, cf. supra 440, 4. *F* in *V* commutare ne dubitemus, cf. quae ad gl. 456, 6 disserui. *Compositus* denique aut attributi loco habendum est idem fere quod *constans* significantis aut, id quod nescio an praeferam, in *compositum* (scil. *est*) mutandum indicante Prisciano, Gr. Lat. III, 465, 30. Compluribus enim vocabulis, in quibus *Virbius* quoque est, enumeratis hoc modo pergit ille grammaticus: *quae omnia ideo composita accipimus, quia sub uno accentu pronuntiantur.* -*us* et -*um* terminationes non raro confusae sunt, v. ex. gr. 458, 35 *luxuriosus* pro *luxuriosum,* 471, 63 (v. infra) *odius* pro *odium,* Eo accedit quod formae antecedentes masculinae exitum postremae vocis sibi assimulare facile potuerunt.

457, 12 = IV, 77, 14; 517, 24 *Flamedia* (vel *Flamendia*): *sacerdos Iovis.* Non assentior Goetzio hanc glossam cum iis, quae sub rubrica *Flamen Dialis* inveniuntur, in unum conferenti. Quid vetat simpliciter *Flaminia : sacerdos Iovis* legere?. Primo enim *Flaminia* vocem *i* littera consonantis numero pronuntiata *Flamin*i̯*a* evasisse, tum, ut interdum, *di* pro *i̯* scriptum esse credo, v. Lindsay-Nohl p. 56, Seelmann, p. 239, Schuchardt I, 68 sqq. *Flaminia* pro *Flaminica* usitatum bona forma est, cf. Hieron. ep. 123, 8 *(Flaminea).*

457, 38 *Forsam : forte, fortasse seu nolle* (sic a b, *molle* c). Rursus contaminationem Goetz suspicatur, glossas eas

quae *Flexum* lemma explicant comparans, inter cuius interpretationes *mollem* etiam reperitur. Promptius nescio an *Forsan : forte, fortasse seu nonne* legatur. *Forsan* et *nonne*, cum utrumque affirmans responsum exspectet, notione cognata sunt.

458, 50 *Geror : exemplum exolethri ceterarum rerum* satis obscura videntur neque Büchelerum in Thes. gl. *Gerro* pro *Geror* et *exoletarum* (pro *exolethro celerarum?*) legentem, etsi ad Gr. Lat. II, 193, 1 *Gerro :* οὐδαμινός, ἀπό τοῦ γέρων referat, verum invenisse credo, praesertim cum talis legendi ratio admodum difficilis sit intellectu. Nonne sic corrigendum est: Γέρον : *exemptum ex olethro ceterarum rerum?* Qua lectione arbitror verba codicum quam fieri potest diligentissime retineri. At enim lemma Graecum glossario inserere non licet. Quod ut per se recte obici videatur, ita me ratione carere non credo. Quid enim de his glossis existimes: 450, 51 Διός (*Dios* codd.): *Iovem* (*Iove* codd.); 452, 6 Δῶ (*Do* codd.): *domus*; 465, 22 Μαινόμενος (Memo moenus codd.): *lunaticus*; 468, 30 Νόημα (*Noemma* codd.) *voluntas* (*voluptas* codd.)? Quorum lemmata propter vocum aut terminationes aut totam indolem omnia ita sunt comparata, ut non magis quam Γέρον illud communi Romanorum sermoni familiares esse potuerint, sed ipsa specie Graecam prae se ferant originem.[1] Neque tamen e scriptore eius linguae sumptas esse crediderim, sed potius ad Romanum cuius moris fuerit Latinum sermonem hoc modo Graecanicis verbis aspergere, referendas esse. Quod si verum est, Lucilii ante alios nobis venit in mentem, cf. quae de eo hoc in genere dicit Loewe, Pr. p. 338; v. etiam indicem eiusmodi vocabulorum p. 156—159 ed. Marx. a. 1904 publicatum. Accedit quod multa alia *a a* glossario insunt lem-

---

[1] Vocabulorum eiusmodi Graecorum, quae in linguam Latinam prorsus quasi adoptata erant, in hoc etiam glossario magnus nimirum inest numerus.

mata Luciliana, cf. supra Cap. I, p. 4. Sed revertamur ad eum locum quem interpretari nunc nostrum est. Hic ut Graeci aliquid subesse putem eo magis adducor, quod sic *exolethri* illud singulare, nullam temere Latinam explicationem admittens, quodammodo explicatur, seu glossographus ad peregrinam vocem explicandam peregrino usus est, seu forte ὄλεθρος etiam inter scriptoris verba exstabat. De sententia ea quae mea emendatione evadat, satis erit dicere vetustissimam quamque rem vim nimirum temporis perniciosam, quae omnia interimit et consumit, effugisse. Commemoro denique γέρον attributi numero habitum duobus litterarum Graecarum locis inveniri, Il. X, 184 et Aeschyl. fragm. 317 Dindorf[5], pluralem eiusdem neutri Soph. fragm. 862 ibid.

458, 54 = 502, 25 *Gestita iocularis minuta*; V, 71, 24 *Gestatiuncula : res minuta*; IV, 412, 11; 597, 25; 604, 24; V, 600, 58 *Gestiuncula : res minuta.* Procul est dubio, quin haec varietas ad unum idemque exemplum sit revocanda, et Goetzium quidem recte iudicavisse credo, in Thes. post eam glossam in qua nunc versamur verba Placidi V, 71, 24, quamvis interrogationis signo affixo, adicientem. Re enim vera a glossa Placidiana ceteras corruptas esse certo indicio, quod Goetzium videtur effugisse, concludi licet: glossam dico V, 298, 7 *Gestatio : ipsa res* per se obscurissimam, quam si cum illa coniungas, omnia facile intelliguntur. Tum enim haec habes: *Gestatio res ipsa, gestatiuncula res minuta.* Interpretamenta videlicet non vim lemmatum, sed quae ratio inter ea intersit, significant. Fragmentum verba esse videntur libelli vel commentarii deminutiva tractantis.

459, 48 *Horat : honorat reddit* Goetz sic restituere vult: *Honorat : honorem reddit.* Cur non potius verbis glossae prorsus comvenienter *Honorat : honoratum reddit* legat, parum intelligo. De *n* inter vocales linea scripto v. supra ad gl. 439, 51, 52.

461, 19 = 504, 37 *Instriata : instructa, delectabilia.* Glossa in Th. cum gl. III, 78, 10 Ξυστρωτά *Instriata:* in unum confertur, quod quidem in tam diversis interpretamentis verum esse vix potest.[1] Potius, ut mea fert opinio, adhibendae fuerunt gl. Th. V, 620, 28 huius exempli: *<H>istriate pro <h>istoriate, id est historiae hominis similitudine*[*m*] et gl. De-Vitii s. v. *Histriatus: H. historiis sculptus vel depictus: unde pannus vel paries, in quo plures depinguntur historiae vel sculpturae, histriatus dicitur, id est historiatus.*[2] Ex quibus locis primum sequitur, ut adiectivum quoddam *historiatus* in usu fuerit, tum ut idem nonnumquam *o* vocali ante accentum vocis eiecta (cf. de hac re Lindsay-Nohl p. 210) *histriatus* pronuntiatum sit. Hanc ipsam vocem glossae supra scriptae inesse credo, verbaque modo e De-Vitio laudata comparans sic lego: *Histriata : instructa (= ornata), delectabilia.* Quod ad gl. V, 620, 28 attinet, etsi lemma certum videtur, sententia non satis dilucida est. — Postremo commemoro me in lemmate glossae 483, 50 huius glossarii *Status : iocundus* idem vocabulum quaerere, sic emendantem: *Striatus : iocundus.* Quod si recte statui, *ri (re)* syllaba eodem signo scripta fuerat, quod in gl. 446, 10, 450, 33 *er* significans vidimus intercidisse (cf. Wattenbach p. 61).

461, 49 *Intermina : internuntia abiecta mediatrix;* IV, 99, 28 *Intermina : internuntia abiecta* (*obiecta* a c d) *me-*

[1] *Instriata* posteriore loco, a *stria* nimirum substantivo derivatum, de re aliqua sulcis obducta dicatur necesse est; forsitan autem nihil aliud sit quam *striata* (v. in Th. gl. s. v.) *i* vocali, quae tum in scriptura *in* evasit, initio vocis pronuntiata.

[2] Haec glossa iis confirmatur quae Arch. III, 233 de *historia* voce disserit Dombart. Ostendit enim historiam non modo *fabulam* interdum, sed fabulam praecipue scaenica arte repraesentatam valere similiterque *historicus* usitatum fuisse, quae res hac saltem glossa: *Historicus : pantomimus, qui storias scribit* (IV, 86, 39) comprobatur. Mirandum igitur non est, quod fabulae etiam pictae hoc nomine sunt appellatae; postea adiectivum derivatum est.

diatrix; 251, 40 *Interminia : innuntia* (*inter nuptias* a b) *obiecta* (*obiectus* Sang. 912) *mediatrix* (*metriatrix* Sang. 912); IV, 826, 34 *Intermina : intermunia.* Hildebrand lemma in *intermedia* commutat, Nettleship (Journ. of Phil. XIX, 128) de contaminatione duarum glossarum *Interminata : abdicta* et *Internuntia : mediatrix* cogitat. Melius, siquid video, quam utravis ratione scripturam respiciemus *Interministra* : *internuntia abiecta*, *mediatrix* legendo. Substantivum novum *Interministra* eiusdem plane notae atque *internuntia* fingere non dubito, praesertim cum *administer* (*-stra*), *praeminister* (*-stra*), *comminister* exemplis iam firmata sint; in scribendo contractum est sic, ut codices monstrant, hoc vocabulum, cf. ex. gr. gl. 439, 41 et 456, 35. *Abiecta* idem est quod *contempta*, unde probabile quodammodo fit *interministram* idem fere valuisse quod *lenam.*

464, 9 *Luucat : exorat, propitiat;* 506, 49 *Lucat : exorat, propitiat.* Coniecturae Goetzii *Litat* vel *Placat* mihi non probantur. Rationem ad unguem reddere poterimus corruptelae *Lenitat* (*Linitat*) *: exorat, propitiat* legentes: *-ini-*, linearum quattuor continuarum instar, facillime in *-uu-* abire potuit; de *t* et *c* nihil est quod dicam. Maior etiam fides collata gl. II, 415, 17 Πραΰνω: *leno, lenito, mitigo* huic lectioni accedit. Verbum, nisi me fallit, *i* littera producta eiusdem atque *dormito* fictionis est.

465, 61 = IV, 117, 17, V, 311, 3 *Minicus : ericius;* V, 604, 2 *Minicus : eritius;* IV, 258, 20 *Minicius : ericius;* V, 116, 38 *Menicius ericius;* V, 614, 42 *Mincius : ericius;* V, 372, 51 *Miminicius* (*Miminicus* cod. Epinal): *ericius.* Promptissimum sane videtur *ericii* vocem pro *erinaceo* dictum accipientem lemmati quoque eiusdem nomen animalis subicere. At quod nomen? Nulla dum certe probabilis coniectura prolata est; nam quod Roensch Coll. Phil. p. 155 a Graeco vocabulo μήριγξ Latinum

quoddam *miricius* derivat, Bücheler *Minucius* legendum proponit, uterque mihi non satis cautus videtur. Illius enim vocis nullum exstat vestigium, haec de Minuciorum nomine coniectura parum, quod sciam, firmata est. An vero testimonium talis significationis antiquum exstat? Aut comparativa linguarum scientia eam demonstrat? Equidem haec me ignorare profiteor et re vera aliam prorsus viam ingrediendam credo. Primum igitur quominus interpretamenti paenultimam, non antepaenultimam, acuamus nihil impedit, qua pronuntiatione efficitur, ut vox integra relicta tamen aliter accipi possit. Adiectivum enim hoc modo habebimus uno Plinii loco, H. N. XI, 16, ι testificatum, *ericaeus* dico ab *ericae* herba derivatum, quod nempe, postquam *ē* et *i* litterae in unum confluxerunt, sic ut glossa ostendit scribi potuit. Reliquum est ut in lemmate synonymum aliquod vel certe nomen plantae similis indagemus. Hoc credo nos assecuturos esse levissima correctione *Myricius (Miricius)* legentes, inter quam vocem et nomen *myricae* eadem quae inter *ericius* et *erica* vocabula ratio est. Accedit quod *myricius* (μυρικαῖος) re ipsa, etsi apud nullum adhuc Latinum scriptorem, at apud Graecos exstat, cf. Schol. Nic. Ther. 613. At enim temerarium est has herbas propinquitate vel saltem similitudine nulla demonstrata collatas esse credere. Non omni carens auctore hoc existimavi. Vide enim quae sub *Myrica* voce narrat Forcellinus De-Vitii: "Paulet,[1] Flore de Virgil p. 79 et sq. Myricam Vergilii contendit esse Ericam vulgarem Linn. vel Ericam scopariam Linn. eamque a Myrica Graecorum distinguit. V. etiam quae fusius pertractat Molin hac de re in sua Flore poétiq. anc. p. 285—293." Quo-

---

[1] Medicus Francogallicus, * 1740, † 1826, cuius liber de herbis et animalibus Vergilii a. 1824 Parisiis editus est.

rum virorum sententia etiamsi vera non fuerit, tamen, quoniam talem omnino nominis commutationem apud Romanos factam esse statuerunt, consentaneum est propriam illam myricam Graecorum et ericam vulgarem specie saltem iis visas esse simillimas. Sed de hac re herbarum scientiae peritiores iudicent:[1] ego satis habeo, quantum penes philologum est, novam glossae explicandae rationem ostendisse. Id solum etiam commemoro alias quoque glossas herbarum nomina explicantes *a a* glossario inesse, cf. ex. gr. infra 467, 14.[2]

466, 6 = IV, 120, 4 *Modus Lydius* (*litius, lidius, livius* codd.): *qualis in celebrando funere a Lydiis dictum*. Nulla necessitate coactus Goetz *dicitur* pro *dictum* substituit. At interpunctione post *funere* posita omnia bene se habebunt.

466, 9 *Molleolus : hoc enim non manditur, sed observetur quia vulgo glutto appellat;* IV, 120, 1 a *Malleolus* (*Molleolus* Vat. 3321): *hoc non manditur set absorvetur* (*hoc enim nomen auditur sed absorvetur* Vat. 3321) *quia vulgo glutto appellatur propter procacem gulam* (*p. p. g.* desunt in Vat. 3321). Verba primum aspicienti admodum obscura nonnihil negotii exhibuerunt. Ut honoris causa a Loewio incipiam, parum ei successit huius glossae interpretatio; nam quod Pr. p. 417 in n. disserit, refellere opus non est. Proximus glossam tetigit Landgraf, qui Arch. IX, 394 coll. Arnob. VII, 25 hoc modo corrigit: *Matteolis : haec non manditur sed absorbetur quod* (pron.) *vulgo glutto* (abl. subs. *gluttus*) < *sorbere* > *ap-*

---

[1] Upsaliae omnes quos interrogavi viri docti consensu summam herbarum de quibus agitur similitudinem esse contenderunt.

[2] Apud Diefenbachium, Glossarium Latino-Germanicum mediae et infimae aetatis, Frankfurt a. M. 1857, haec occurrunt: *Ericius i. mercurius vel dea furiorum vel furia infernalis* ubi eandem qua de supra disputatum est glossam latere nemo non existimabit; inversa autem videtur cum alia huius formae: *Erinys (Erinis) : dea furiorum e. q. s.* contaminata esse.

pellatur. Heraeus (Arch. X, 573) Landgrafio ita assentitur, ut contaminata esse lemmata *Malleolus* et *Matteola* suspicetur, deinde in interpretamento *gluttio* pro *glutto* legat. Sed iterum videbimus, quam necesse sit, priusquam quicquam commutetur, omnem verborum distributionem temptare; sic enim lege: *Molle olus : hoc enim non mandit*[*ur*], *sed absorbet*[*ur*] *qui a vulgo glutto appellatur* et sententia, quantum video, bona evadet. Illud fortasse solum quaeri potest, utrum *Molle* de omni olere dictum sit an certum significet genus; quod, siquando eum locum unde verba hausta sunt nacti erimus, planum fore spero. *-ur* terminationem compendio scriptam falso saepe et omitti et adici Cap. II gl. 441, 60 commemoravi.

467. 14 *Muste : frange;* V, 371, 10 *Mustae : frangat.* Emendationes *Amurcae : fraces* Heraei et *Mutilet : frangat* Bücheleri nimis a librorum memoria discrepant. Pro certo habeo *Mustea : fragae* legendum esse, quae emendatio tum sua sponte se offert, cum lemma glossae V, 371, 10 vocalibus *ae* dipthongi inverso ordine positis cum interpretamento *aa* glossae *n* consonanti exclusa coniungas. Glossa, sicut de gl. 465, 61 supra statuimus, ad herbarum scientiam pertinet; primum enim *mustea* certum genus malorum iocunde sapientium appellabatur, cf. Varr. de re rust. I, 59, 1 . . . *mala* . . . . *quae antea mustea vocabant, nunc melimela appellant,* tum haec poma *fragorum* nomine explicari potuisse glossae demonstrant IV, 80, 50 *Fraga : pomus agrestis* et V, 457, 50 *Fraga : genus pomi, id est chamemila,* ex quibus sequitur, ut fraga poma esse existimatum sit. Forma pluralis *fragae* aliis quoque glossariorum locis invenitur, cf. III, 316, 26; 526, 21 Κοκκόμηλα : *fragae.*

468, 48 *Nuclei mundi enucleati.* Falso interpungendo Goetz adiectivum novum *Nucleus* lemma constituit, quod

nimirum vitabimus *Nuclei mundi: enucleati* legentes. Tales glossae, in qualibus lemma substantivum cum attributo coniunctum, interpretamentum vocem vel voces attributi tantum instar continent, vulgares sunt: ex. gr. affero gl. 435, 11 *Abditae pecuniae: id est repositae;* 456, 30 *Festalis dies: sollemnis;*[1] 477, 18 *Puellaris cultus: similis puellae;* cf. etiam infra gl. 475, 55.

468, 59 = IV, 127, 17 *Nugis: foedis.* Verba glossae sic ut tradita sunt vix ferenda *Nudis* pro *Nugis* legendo emendat Heraeus, ego melius respondere credo, si *taediis* pro *foedis* substituimus. *Taedium* interdum pro re aliqua taedium afferente ponitur, cf. ex. gr. Plin. H. N. XXXIV, 50, 2 ... *muscis et culicibus ... non sunt ... ea taedia in metallis.*

469, 37 a = V, 508, 1 *Oblitus* (vel *Obilitus*): *latatus, lamnatus.* Bücheler *Oblitus: lutatus, linitus* legendum esse censet, mea quidem sententia, quod ad duo priora glossae verba attinet, recte, quod ad extremum, secus. Quid si potius *damnatus* verum sit? Hanc enim vocem hominem interdum quovis scelere pollutum significavisse constat.

469, 48 b *Oblitavit: desiit, excessavit (excessavi c).* Sequi non possum neque Goetzium, in lemmate *oblitandi* verbum glossis II, 345, 12 Καταχρίω : *oblito* et II, 478, 50 Χρίω : *oblito* testificatum quaerentem, quae lectio eo refellitur, quod lemma vim ita habet transitivam, interpretamentum intransitivum est, neque Büchelerum *Obiit: abit* legentem, quod quomodo verbis librorum vel paululum congruat, intelligere me prorsus negaverim. Immo vero sic legamus: *Oblitu(v)it: desiit excessavit.* De consuetudine *uv* pro *u* ante vocalem scribendi v. Sommer p. 178.

---

[1] Hanc glossam eodem modo atque eam de qua supra agitur Loewe, Pr. p. 385, et Goetz in Th. falso *Festalis: dies sollemnis* interpungunt; in gl. IV, 342, 27 *Festalis sollemnes dies* verba *s.* et *d* locum inter se commutaverunt.

471, 63 *Orror* : *odius*. Glossam sub *Horror* titulo Goetz recepit, tamen dubitans an *Osor* : *odiosus* legendum esset. Sed cf. gl. m. 2 post IV, 135, 8 *Orror* : *odium* et quae de *-us* et *-um* terminationibus supra ad gl. 456, 54 disserui.

472, 22 — 509, 26 *Parotes* : *petitores virginum*. Pro *Parotes* voce formam novam *Proces* idem valentem ac *Proci* fingit Goetz, ad Hagenii Grad. p. 64 referens, cuius libri inspiciendi non habui quidem facultatem; sed nihil referre existimo. Glossam enim, nisi omnia fallunt, usque ad litteram retinere possumus, dummodo *petitores* illud in duo vocabula *petit ores* dissolvamus. *Parotides* iam apud antiquos appellabantur tumores genarum glandulas invadentes, cf. indicem ad editionem medicorum antiquorum Parisinam a. 1572 ab H. Stephano confectum. Quid vero magis constat quam id genus morbi, quod medici hodierni *parotitidem*, nostrates 'påssjuka', Germani 'Mumps', 'Ziegenpeter', 'Bauernwetzel' vocant, pueros praecipue petere? Atqui *virgines* in extrema Latinitate parvuli et virile et muliebre secus nominabantur, cf. ex. gr. Vulg. apoc. 14, 4; Paul. Nol. carm. 24, 2. Omnia igitur bene consentire videntur. *Ores* denique pro *aures* vulgus dicebat, cf. *plodo, lorus, codex* aliaque exempla, Lindsay-Nohl p. 45 sqq.; imprimis observes in eiusdem vocis deminutivis monophthongum iam antea testatam esse, *oricula* Trog. apud Plin. H. N. XI, 114, 3, *oricilla* Catull. 25, 2.

474, 27 *Pone porcorum* : *post forum*. Num haec glossa, ut Goetz videtur existimare, corruptela est glossae IV, 147, 9 *Poneporanum* : *post forum*, ubi *Poneforanum* : *p. f.* idem, *Postforaneum* : *p. f.* Nettleship, Journ. of. Phil. XIX, 294, *Poneforaneum* : *p. f.* Landgraf Arch. IX, 410 legere volunt? Nimis mihi distare videntur ac potius *Pone Porciorum* : *post forum* *i* tantum littera inserta verum esse arbitror. *Porciorum,* scil. *domus,* basilica Porcia est a septentrionibus

et solis occasu foro vicina et a M. Porcio Catone anno a. Chr. n. 185 aedificata. De ellipsi vulgarissima *domus* substantivi dicere opus non est. Quod ad glossam illam IV, 147, 9 attinet, correctionem Goetzii accipio, cf. de *p* et *f* litteris supra gl. 440, 42.

474, 28 *Ponire* (*Punire* b) : *bucinare*. *Praeconare* conicit Heraeus, sed melius corruptelam explicare poterimus *Praemonere* legentes, modo *Prae*, ut vulgo, per primam litteram, lineola superscripta instructam, expressum fuisse statuas. Neque e sententia male inter se congruunt verba glossae; utrique enim vis subest *nuntiandi*.

474, 47 = 510, 51 *Poteri* : *fornicari*. *Potiri* in lemmate conicit Goetz, Bücheler *Pornoe* : *fornicarii* emendat. Me auctore simul sententiam et verba respiciens *Protervi* : *fornicarii* legas. *R* et *v* litterae, *n* signo ambae simillimae ac propterea linea expressae, interciderunt.

475, 55 = IV, 147, 23; 150, 27; V, 324, 27; 383, 28 (*Procamus* vel *Procanus*) *Procanus ornatus aedificiorum*. Qui adhuc glossam attigerunt, omnes singulare illud *Procanus* lemma esse duxerunt; ex quibus πρόδομος Nettleship legit, Journ. of Phil. XIX, 294; *Plocamus* Helmreich Arch. VII, 275; *Procinctus* Heraeus. Ipse postquam diu sed frustra hac via aliquid proficere conatus sum, tandem mihi persuasi vitium in eo positum esse quod glossae partes perperam distinguerentur. Ex iis enim quae supra ad glossam 468, 48 disputavi, nihil impedire sequitur, quominus post *ornatus* vocem interpungamus. Tum si *Profanus* legas, tolerabilis evadere videtur vententia. *Profanus* certe a scriptore Christiano is ornatus potuit appellari, qui ad aedificia publica et privata instruenda adhiberetur, ei oppositus, qui ad ecclesias et cultum Dei pertineret. Ad corruptelam vocis cf. glossam 476, 25, ubi *Proianatur* pro *Profanatur* scriptum est.

478, 39 = IV, 160, 24 *Rafimenta* : *interamenta:* V, 512, 23 *Rarimenta* : *interamenta.* In coniecturis Nettleshipii, Journ. of Phil. XX, 54 *Statumina* : *int.*[1] et Landgrafii Arch. IX, 418 *Ravimenta* (vel. *Ratimenta*) : *int.* refutandis nullum tempus perdam; quid enim attinet vel ea quae tradita sunt prorsus transformare vel vocabula inaudita et nulla simitudine firmata enucleare? Ne Heraei quidem correctio, quae est *Ramenta* : *int.*, quamvis multo sane melior, mihi probatur; nam si ita scriptum esset, unde *fi* syllaba venisset? Spero me non in eodem genere quo alios castigavi offensurum esse *Rasimenta* : *interramenta* legendum proponentem. *Rasimentum* enim quamquam non magis quam *ravimentum* illud Landgrafii notum est, attamen a stirpe vulgatissima derivari potest, e *rasus* participio eodem modo atque ex *intercisus intercisimen* (Gradenwitz ind. contr. p. 347)[2] amplificatum. *S* consonans tum *f*, tum *r* evasit, quarum confusionum illam nullo exemplo probare opus est, haec non raro in *aa* glossario occurrit, cf. 442, 53 (v. Cap. II) *ruperibus* pro *superbum* et *bellicorum* pro *bellicosus;* 465, 34 c *Mertus* pro *Maestus;* 471, 64 *Ortentat* pro *Ostentat;* 485, 37 *colafurintabo* pro *colafus in talo; s* pro *r* ex. gr. 462, 1 *Isquitallus* pro *Irquitallus* invenitur. Coniecturam meam substantiva etiam complura *-amen(tum)* terminationis a participiis in *-sus* exeuntibus derivata confirmare credo, cf. *compulsamentum, divisamentum* (Grad.), *praecisamen* (Grad.), *praecisamentum, rasamen, rasa mentum* (Grad.), *recisamen* (Grad.), *recisamentum.*

---

[1] *Interamentum* vox uno eoque dubio Livii loco, XXVIII, 45, 15, occurrit; vulgo costas navis significare existimant.

[2] Valde doleo hunc librum ceteroquin utilissimum eo mancum et imperfectum esse, quod quibus ex locis lexico Georgesii excepto singulae voces laudarentur, indicatum non sit: nihil resciscimus nisi volumina I-X Archivii et opuscula Pauckeri excerpta esse, qua re quod ad Pauckerum attinet non multum adiuvamur, cum in magno libellorum eius indice carentium numero certam vocem invenire facile non sit; in iis 4, qui mihi praesto fuerunt, *intercisimen* vocem sane invenire non potui.

— Vocem lemma explicantem *interramentum* ad verbum quod est *interradere* haud secus quam *ramentum* ad simplex illud *radere* referendam existimo. Interradere autem cum non modo *caelare*, *tornare*, sed etiam *putare*, *recidere* significet, interramentum nescio an idem esse potuerit ac *putamen*. Hac significatione praeditum lemma quoque accipio.

481, 19 *Sapsa* : *res ipsa vel inaequalis*. Prima glossae pars sine dubio cum Goetzio collatis verbis Festi-Pauli p. 324, 3 M *Sapsa ipsa. Idem Ennius* : »*Quo res sapsa loco sese ostentat*» explicanda est. Sed quid *inaequalis* sibi vult? Tam difficile est hoc vocabulum ad idem lemma revocare, ut ad contaminationem aliquam confugere necesse videatur; et quidem Goetz glossas sub titulis *Scaber tofus* et *Scrupulus* receptas commemorat, quarum interpretamentis ipsum hoc adiectivum inest. Propius multo ad ea quae tradita sunt accedemus *Sapra* legentes, quae vox apud Plinium XXVIII, 34, 1 legitur nec male ita ut vidimus explicatur; *inaequalis* enim posterioribus linguae temporibus *insalubrem*, *pestilentum* significabat. Accedit quod *r* et *s* saepe inter se confunduntur, cf. supra ad gl. 478, 39.

Addenda.

P. 30, Gl. 440, 42. *Apagete* forma apud Apuleium, Met. I, 17, occurrit.

P. 51. Gl. 465, 5. Ea, quae de hac glossa disserui, verbis Plinii l. l. confirmantur, quae haec sunt: *Tertium genus mellis minume probatum, silvestre, quod ericaeum vocant; convehitur post primos autumni imbris, cum myrica sola floret in silvis, ob id harenoso simile.* Apparet *ericaeus* et *myrica* vocabula ad eandem herbam significandam adhiberi.